Chronoſophia,

SIVE

DE QVATVOR ANNI TEMPORIBVS, EORVMQVE NATVRA, ET TEMPERAMENTIS.

THESES QVONDAM IN ALMO PISANO GYMNASIO DISPVTATAE.

Aduerſus placitum Ariſtotelis, Philoſophorum, & Medicorum omnium.

IMPVLSORE

MATTHÆO CAROSIO

I. C. AC PATRICIO FLORENTINO.

Nunc eodem Authore methodicè, ac fuſius explicatæ.

Ad Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum D. Carolum Antonium à Puteo Archiepiſcopum Piſarum.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FLORENTIAE Apud IVNCTAS. 1603.

Cum licentia Superiorum.

2

Ego D. Marſilius Abbas, & Doctor Theologus ordinis Ciſtercienſis libellum hunc Matthæi Caroſij epiſtolamque Aurelij Blondij perlegi, in quibus nihil eſt, quod fidei catholicæ aduerſetur, aut bonis moribus.

Marſilius qui ſupra.

Imprimatur Florentiæ cum conſenſu R. P. Inquiſitoris, die 2. Maij 1603.

Coſinus Antellenſis Vicarius Generalis Florentinus.

Frater Matthæus de Sanmatthæis Vicarius Sanctæ Inquiſitionis Florentiæ. De mandato ut imprimatur concedit, die 5. Maij. 1603.

GASPARIS MVRTOLAE ROMANI.

QVam bene quæ vario labuntur tempora motu,
Detegit hæc doctis pagina ſcripta notis.
Hic Ver purpureum eſt, hic lætis meſsibus Aeſtas
Hic Poma Autumnus, frigora præbet Hyems.
Forſitan eſt Cęlum, nitido quod in æthere Solis
Efficiat varias, ire redire vias.
Aut tu lux iuuenum Sol es nitidiſsimus aureæ
Tempora qui nobis detegis, atque Dies.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVRI CATANEI BRIXIANI.

NAe Schola neſciuit veterum, quæ prouida vires
Natura Tempori, vel ordinem dedit,
Rides? hunc doctum prudens euolue libellum
Elucubrauit cura quem Caroſij:
Hic etenim Ver, hic Aeſtas, Autumnus, & ipſa
Hyems ſuas veriſsima vires habent.

FRANCISCI MEDICES FLORENTINI.

D*Vm furit æſtiuo latrantis Sideris igne*
Orbis, ab hiberno frigore terra riget.
Parce mouere fidem, narrat Caroſa, videbis,
Sole ſub ardenti candida prata niue.
Quàm cito, quæ tardo pede mobilis inuehit annus,
Fixa vides? varias arte morante vices.
Ars opus ipſa ſuum facti ſtupet inſcia, quærens,
Si manet heſternum, mobile tempus vbi eſt?

PETRI PHILIPPI ASSIRELLII.

H*Is Phiſicæ Princeps, his cedant quiq; latini,*
Quæ veluti certa ſcripta fuere manu.
Quattuor hic Anni, mi lector tempora diſce
Non vllo veterum tam bene picta libro.

MATTHAEO CAROSIO I. C.

AVRELIVS BLONDIVS S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TAnti profectò erat me conſulere de editione tuæ Chronoſophiæ, vt ſcilicet hoc accederet reliquis argumentis, quibus quãti me facias, oſtendere ſemper cõſueuiſti. Equidem, vir doctiſſime, dulce cum primis, & laudatum ſatis duco, iudicium in me tuum, meum autem tibi in omnibus probari non tam mihi ſuaue eſt, quàm in hoc moleſtum requiri. Videris enim mihi adhuc deliberare laudíne, an vitio tibi futura ſit huiuſmodi editio, cum fortaſſe iueris in ſententiam illorum, qui putant legum ſcientiam eximiam eſſe iis, qui aliis ſcientiis poſthabitis illi tantummodo inſudauerũt, ſimplicem & ſinceram huiuſmodi ſcientiam fore vndequaque inculcantes, & quis, niſi ſimplex homo, pro tanta ſibi nata ſimplicitate, multarum rerũ notitiam vitio dandam profiteatur? Te vero, Amice,

quem

quem non tæduit eam conſequi,ne pudeat eam profiteri,tua enim iſta eruditione eo magis,promouebit titulus iuriſperitiæ, quo iure optimo defungeris, quo magis intelligent homines, te ſtudio legum, Philoſophiæ ſtudium comitem adhibere. Etenim quid obſtet, cur tergiuerſetur nullus ſane video, non exempla clariſsimorum virorum, non auctoritates, non deniq; rationem. Superſedebo recenſere exempla eiuſdem notæ virorum, nec te fugere arbitror eorũ nomina, quorum ſtudia, & gloriam æmularis; Vnus tamen ſub oculis venit Nycolaus ille Nicolius,familię tuę,& licterarum eius temporum facile princeps,cuius multiplicis Doctrinæ ſplẽdore, obtutus intuentium hebetatur, qui licet pauca ſcripſerit,& multi multa ei inuiderint,plurimum tamen contulit dignitatis & ſplendoris Dialectis & Scientijs ferè omnibus: Nec minor gloria Socrati illi Sapienti debetur, cum nihil ſcripſerit, ſi tamen in eius nihilo, vniuerſa quæ à Platone ſcripta ſunt ſciuerit,& alios erudiuerit. Sed tranſeo ad authoritates, quibus demoliri πολυμάθιαν conantur. Heraclitum in Diogene appellant,& ſi placet, addãt in Athæneo Timonem,quibus obicio in Stromatibus Clemẽtem Alexandrinum, diſputantem ſolum ijs Polymathiam

thiam obeſſe,qui ingenio deſtituti, illius vtilitate vti neſciũt, Nec foti ſunt auctoritate Democriti apud Stobæum Sermone xxxij. qui cum dixerit mentem non eſſe multis qui multa didicerunt, non aduerſatur Clementi,ſed ſtudium hoc difficillimum explicaſſe voluit, cum omnibus datum non ſit, quod aiunt, adire Corinthum. Sed vnum pro omnibus laudo illis Ariſtotelem, qui primo demonſtrationum libro cap. 8. Polijmathiam commendat, commẽdat autem? Imo totis viribus eam Cęlum vſq; extollit. Non eſt quid dicti rationẽ quæramus, vbi magiſtri Sententia intercedit, ſed tamen libet ratiocinari, vtrum intellectus hominum dum mouetur ad ſuum finem conſequendum,vna tantum rei natura perſpecta,eademque intellecta,quieſcat,an potius eius motus magis inquietet,diuerſa ſemper intuendo,noua rimando,varia inquirendo? hoc natura comparatum eſt, propter variarum rerum, varia principia, quibus niti ſtudet mortalium intellectus, & re ipſa cõpertum eſt, propter mutuam Diſciplinarum cõnexionem, quæ omnia contemplatus Seneca, more ſuo ingeſſit opinionem Lucilio, A ſummo,ſcilicet, rerum opifice perſperſa eſſe in animis hominum, virtutum & earum rerum quæ ſciri poſſunt ſemena

quæ

quæ ſi excolantur ad vberem fructū intellectus ſobolefcunt, ſin minus, producere purgamenta pro frugibus. Si quiſquam igitur eſt, qui ſcientiam multarum rerum expiſcari poſſe confidat, & ingenij vires in earundem ſtudijs non frágat, illibatum ſine negociatione talentum Deo indignanti reddere ſtudet; & hæc ſatis ſuperque dicta volui, ad maturandam editionem tuæ Chronoſophiæ, & ne ob paucorum ſententiam putes, ſubducendam frontem, vbi ego exporigendam cenſeo. Vale.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. VIRO CAROLO ANTONIO PVTEO,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Archiepiſcopo Piſarum, atque Inſularum Corſicæ, & Sardiniæ Legato Nato.

Matthæus Caroſius Florentinus. S. D.

OMNIBVS, qui de te pendent, & quorum ſalus in tua ſalute fundata eſt, ad exactam tui cuſtodiam, & quæ ad valetudinem corporis mirificè adiuuent, conſultò aliquid perſcribendum eſt. Cùm enim nulla in hominum genere natura ſit melior, quàm eorum,qui ſe natos ad homines adiuuandos, ac conſeruandos, Deorumq; munus eſſe arbitrantur, mortalibus plurimum prodeſſe, mihi etiam, qui ad repetitam hominum memoriam, frequentioribus in vniuerſam Rempublicam beneficiis, ſæpe numero ex animi voto propero, tuendæ ipſius curam ſummoperè ſuſcipiendum eſt, vt cùm is, ſis, cuius ductu in antiquam illam tum Imperij, tum omnium, & virtutum, & bonarum Artium Roma, reſtituenda ſit, tuq; vnus doctorum omnium Patronus, præcipuus fautor, atque adiutor, nuſquam deſinas augere Diſciplinas, tueri ſolertes, eoſq; plurimis beneficiis proſequi: qui literis præſtant omni ſtudio tui nominis immortalitati ſtudeant, poſteriſq; imitandum proponant, atq; exclament quòd

non Italia noſtra modò, ſed vniuerſus Chriſtianórum orbis, primas tibi prudentiæ,& ſapiẽtiæ partes ſine controuerſia concedat. Ego qui gloriam tuam factis etiam conſpicuam teq; diù ſuperſtitem publicè commoditati vehementer exopto, cùm Quæſtionem iſtam, in qua Clariſſimus Doctor Marta Præceptor meus, veram Autumni, & Hyemis naturam, ſæpe ſæpius cum doctiſſimis viris, longa poſt interualla, contra antiquiores, veritatem diſceptando inuenerit in Communem vtilitatem recognouerim (neque enim ob gloriæ ſaporem, quam in ſepulcro nanciſcar, hic quidem aſſiduè, quatitur ac ventoſis ſuffragiis, circumuoluitur, cùm tremulis vulgi innitatur fundamentis) vt cùm homines quodlibet tibi honoris genus debeant, poſſim aliquantisper intrinſecus gloriari inuentum iſtud, tot annorum ſtudio collectum, ſtudioſiſſimi ac deuotiſſimi erga te animi noſtri pignus, leuidenſe munuſculum, ac monumentum conſecrari. Et ſi quando ab innumeris, quibus in agendis quaſi totius Italiæ negotiis, detineris, ad otium trãſlatus, meum iſtud, exercitationis genus deguſtare non dedignaberis, tuoq; ſapientiſſimo iudicio non improbabitur ex vera alterati aeris cognitione, vnusquiſq; valetudinem ſuam reſtaurare, tuam etiam tueri valeas. Quam Deus O. M. diù incolumẽ religione conſeruet. Vale Piſis die viij. Martij. M. D. XCVIII.

PER-

PERILL. AC REVERENDISS.
Viro Abbati CAPPONI Capponio Equiti Magnę Crucis S. Stephani.

Atquè Celeberrimi totius orbis terrarum Piſani Gymnaſij Prouiditori.

Matthæus Caroſius Florentinus. S. D.

NOVO certè, & aliis, qui in facultate aliqua, theoremata ædidere prorſus inuſitato, non tamen abſurdo, aut minus conſeutaneo exemplo, quæſtionem iſtam tuis auſpiciis, legentium manus percurret: Solis .n. viris eiuſmodi ſcriptiones dicare veterum, & recentiorum quoq; conſuetudine vſurpatum eſt. Mihi verò aliorum exempla, (quæcunq; eos ratio impulerit, vt non ſemper negligenda, ità neq; indiſtinctè amplectenda videntur, niſi cùm actionis noſtræ ratio aut nulla, aut non planè certa conſtare poteſt. Quò enim conſilio grauiſſimi viri Principum virorum patrocinio ſibi implorare, indignum non putarunt, eo ipſo mihi Ampliſſime Capponi, quin tuæ amplitudinis fidem grauiſſimi nominis authoritatem, clariſſimorum natalium ſplendorem, atque alias excelſas tui animi cumulatiſſimas dotes, ad huiuſce diſputationis tutelam aduocarem, minimè dubitandum fuit. Quis enim noſtro aut patrum noſtrorum ſeculo, ſuæ nobilitatis ſtemmata præferre audebit tuo generi? In quò claruerint & clarent tot elegantes viri, tot aurati milites, armorum Duces atque in Eccleſia Deì, digniſſimi Præſules, ſtrenui Commilitones, & feroces in armis. Sed hæc etſi perſe ipſa præclariſſima ſunt, atq, egregiam in omnem Prouinciam tui nominis famam propagare poſſunt, ea tamen, tanquam vnius arridentis fortunæ beneficio referenda, parui putaſti facienda, niſi tanto benignioris gratiæ afflatu te morum grauitate, oris, & perſonæ dignitate, miraque in totius vitæ curriculo honeſtate, vti quæ tua ſunt præcipua ornamenta, non modò digna omnibus probares, verum virtutum omnium præcellentium

con-

concurſu, cæteros qui ſunt, quiq; fuerunt probos viros anteire, atque incomparabili animi magnitudine, ſuperare contenderes. Quas ego innumerabiles animi dotes, ſi tam anguſto Elegio præſtringere tentarem, malè dixiſſe, non laudaſſe viderer. Illud porrò vnum ſilentio inuoluere indignum, & nefas eſſet, Quod in regenda hac totius orbis terrarum Florentiſſima Academia Piſana, omnibus tui nominis gloriam, totius orbis finibus minimè contentam, admirabili hominum conſenſu, ad æternam præpotentis Dei arcem extollere poteſt. Nam ſcholarium inimicitias, dum Vrbis ſaluti diligentiſſimè ſtudes, ita componis, vt pacem & otiũ ipſi Ciuitati, quantum fieri poteſt, parias. frangis tua prudentia, & ſapientia aliquorum improbitatem, cædes reprimis, ac demum vniuerſitatem ipſam, tua in ſcholares beneuolentia, ſumma cum Sereniſſimi Magni FERDINANDI *Gloria, feliciſſimam componis atq; conſtituis. Notiſſima eſt tua in illos diligentia, qui iuuenili quodam furore, vel leuitate totum ipſum gymnaſium vexant, atque magnopere perturbant, quanta vigilantia, quanta demum in illis reprimendis prudentia quos comitate, lenitate, ac beneuolentia tua illa ſingulari, ob acerbam nimis eorum naturã lenire non potes, eos iuſtis, æmeritiſque pænis, ita contundis, vt iuuenilis audaciæ reprimendę, præclarum exemplum poſteris relinquas. Et tandem id effeciſti, vt nullum malum, nullà difficultas extiterit hac ipſa in vrbe, quam tuo conſilio & ratione non depuleris. Quis igitur vitio mihi vertere poterit ſi quæſtiones, quas diſputaui, reſolutiones etiam cudendas, curauerim? Cum omnes qui de virtute tua iudicare poſſunt, Tibi Dei O.M. fauorem perpetuum, incolumitatem diuturnam, & ſenectutem placidam, prȩcentur. Quod, dum & ipſe toto animo, totaq; mente facio, tenue hoc laborum & vigiliarum mearũ, meæ erga virtutes tuas, obſeruantiæ munuſculum, quod cupio, exoptoq; eſſe ſempiternum, amplitudini tuæ offero. Vale ex Piſano Gymnaſio die* XV. *Martij M. D. XCVIII.*

QVÆ-

QVAESTIO
DE QVATVOR TEMPORVM Naturis, & eorum Temperamentis.

PRAEFATIO.

DE quatuor temporum naturis perſcrutantibus, inter alia vidē dum eſt de vere, num temperatum ſit ſuapte natura, vt Galeno impoſuere, an non, Inſuper de natura, hyemis, & autumni frigidorum temporum, differentiū tñ in humido, & ſicco, quid eorum ſibi natura vendicat, an humida hyems, ſiccus autumnus, vt omnes Philoſophi, ac Medici antiqui, & iuniores aſſerunt ſine diſcrimine, an è cōtra ſicca hyēs, autumnus humidus, vt erit veritas, Philoſophorum, ac Medicorum autoritatibus proponenda. Nec alicuius viri, licet famoſi autoritati addicar, nam cum rationale ſim animal, ad inueſtigandam veritatem, quod eſt munus Philoſophi, ſolum ratione vtar, quam ſenſus confirmat, & Auer. 2. Met. 16. omiſſa hominum auctoritate, quantùm quis poteſt conetur eam demonſtrare, & pro vt natura rei patitur inueſtigare. Et primo Top. in prologo, & cap. 2. & Latius primo Cœli 85. auctoritates hominum ad confirmandum valent, demonſtratiue inuentum, nec ſufficiens eſſe inſtrumentum ſanæ, & benè diſpoſitæ naturæ, & mentis ad veritatē ipſam, nam vt ibidem Ariſt. hominum dicta, iuuant infirmos

mente, non validos ad veritatis inquiſitionem, eos verò qui vel natura, vel conſuetudine ipſa deficiunt, vel & imperitia Logicę, quæ docet quò inſtrumento, & quòmodo proprio, vnaqueq; ſit res facilis percipienda: quem ſi ſequemur id agendum eſt, eius inſtar qui primo Ethic. contra Plat. & præceptorem arguens iubet veritatem omnibus auctoritatibus, antiquorum, & præceptorum præponendam eſſe, nam 2. Met. 4. veritas munus eſt à Deo participatum, quod omni auctoritati humanæ præponendum eſt. Conſideratio autem noſtra vtilis erit tum ad veritatem rei ſcientificam, quæ 4. Ethic. 9. eſt finis, & felicitas noſtra vltima, & quaſi animæ noſtræ perfectio, tum etiam ad tuendam, & reſtaurandam illam corporis ſanitatem, cum inter multas cauſas, quæ neceſſariò noſtrum corpus alterant, eſt circumcontinens nos aer, qui tertio Cœli 28. non agit in nobis, niſi virtute influxa à Cœlo in talibus tempore, motu, & lumine facto in Zodiaco circulo, vt Ariſt. in prima parte probl. 3. temporum mutationes morbos ſanant, cauſant, adaugent, diminuunt, & reliquas in noſtro corpore mutationes afficiunt, & Hippo. lib. de aere, & aqua, qui ad medicinæ agrum accedunt, neceſſe eſt, vt prius anni tempora perquirant, quæ cum naturalia ſint, conſeruant ſanitatem, cum verò innaturalia, morbos generant. Hoc autem à nobis agendum eſt cũ peritia, & ordine, qui ſecundum Ariſt. 1. de part. 1. in qualibet re ediſcenda id neceſſarium agendum fore, ne idiotarum more inueſtigare videamur, talem itaq; ſeruabimus, primo omnia argumenta communis opinionis adducemus, ſecundo eam, quæ falſa erit refutabimus, tertio veritatem quæſiti, quæ nobiſcum ratione

Veritatis cognitio anime felicitas atque perfectio.

Aer agit in nobis virtute a celo influxa.

ſenſa-

ſenſata, & naturali videbitur, explanabimus; vltimo ex ea inuenta, fallaces aliorum rationes diluemus.

PRIMVM CAP. IN QVO OMNIVM communis opinio enarratur. 1

Autumnum frigidum, & ſiccum, hyemem frigidam, & humidam.

VNA omnium communis opinio eſt, ſine aliquo diſcrimine tam Philoſophorum, quam medicorum, autumnum eſſe frigidum, & ſiccum, hyemem verò frigidam, & humidam, quæ his rationibus, & auctoritatibus firmari poteſt. Primo ſumunt æſtatem, & hyemem eſſe ſimpliciter contraria, autumnum, & ver eſſe media ſiquidem primo Phy, 60. his duobus modis contraria ſunt 2. contraria ſimpliciter ex pri. Elench. cap. proprio eſſe vniuerſaliter, & omnimodo contraria tripliciter omni .ſ. loco, tempore, reſpectu omnium, ſecundum quid verò, quæ aliquo modo, particula aliqua oppoſita; contraria ſunt in aliquo etiam loco, & tempore, reſpectu alicuius. Ex quibus primo arguunt. Æſtati ſimpliciter contraria eſt hyems, ergo reſpectu omniũ qualitatum, quare ſi æſtas calida eſt, & ſicca; hyems erit frigida, & humida, aliter non eſſent ſimpliciter, ſed ſecundum quid contraria 2. ex Ariſt. 1. Cœl. 22. d. terram extremè grauiſſimam, opponi igni extremè leuiſſimo, vnde ita ſituantur, terra in extremo inferiori ſimpliciter, ignis in extremo ſuperiori ſimpliciter, & in medio duo aer .ſ. & aqua; tunc ſic, ſi hyems eſſet frigida, & ſicca opponeretur æſtati in fine, ſicut opponitur terra igni, ideſt in vno extremo hyems, in altero æſtas,

Contraria q. & quot.

1. Ratio.

2

e in medio eorum duo tempora .ſ. autumnus, & ver. Sed ſolum ver eſt medium, non autumnus, quod non eſt propter aliud, niſi quia opponitur hyems. Æſtati in extremo, ſicut terra igni, neceſſario ergo erit frigida, & humida hyems, quod à principio intendebant 3. ſu-
3 munt ex 1. Phy. 2. principia rerum naturalium cum ſint inſenſata, eſſe ignota nobis, nec poſſe cognoſci, niſi ex eorum effectibus ſenſatis, & notioribus, ſed ipſa tempora vt 3. Art. par. ſunt principia agentia propria in hæc inferiora, meritò ſi ignota eſt eorum natura, nõ poteſt cognoſci niſi ex effectu eorum proprio, cauſato in hæc inferiora, ſed ad ſenſum videmus pluuiam, & humidum in autumno non fieri, meritò habemus inferre naturam eius non eſſe humidam, ſed ſiccam, hyems ve-
4 rò cum pluuia, eius ergo natura humida 4. ex 16. Met. 15. & 16. motus, & tranſitus de extremo, ad extremũ non fit, niſi per medium, ideo in carentibus medio non eſt motus, nec tranſitus, ſi igitur tranſitus eſt ab æſtate calida, & ſicca, ad hyemem frigidam, & ſiccam, tranſitus eſſet ad medium per extremum, non ad extremum per medium, quod eſt impoſſibile, & quòd hoc ſequatur de facili probatur, extrema .n. ſunt in vtriſq; qualitatibus contraria, ab æſtate ergo fit tranſitus, ad hyemẽ frigidam, & ſiccam per autumnum frigidum, & humidum, ergo per extremum, quia per autumnum in vtriſque qualitatibus oppoſitum ad hyemem in vna ſola qualitate æſtati oppoſitam.

C A P. II.

Auctoritates adductæ contra meam Concluſionem, quibus mihi probatum fuit hanc communem opinionem eſſe Hippo. & Galen.

QVOD hæc opinio ſit Hippo. & Gale. probatur ex dictis eorum, nam Hippo. 3. par. Apho. 18. 1. *Auctor.*
d. in æſtate, & autumno vſq; ad aliquam partem æſtati propinquã ſenes bene ſe habere, hyeme verò iuuenes, infantes autem, & pueri in vere, in æſtate etiam vſq; ad partem contiguam, & ſimilem veri, dat cauſam omnium, quia temperata ſimilibus temperatis conſeruantur, & corpora ſimiliter contrariis ſe inuicem nuſcendo, quia ergo ſenes ſunt humidi, & frigidi propter abundantiam pituitæ, meritò contrario tempore calido, & ſicco. s. æſtate & parte autumni ſibi contigua, & ſimili conſeruantur. Itaq; iuuenes cum calidi, & ſicci ſint per coleram rubeam in ipſis dominantem conſeruantur in hyeme, quia eſt tempus contrarium eis vtraque qualitate, ex quibus clarè patet hyemem frigidam, & humidam ſua natura eſſe, autumnum verò frigidum, & ſiccum. Idem d. 3. par. Apho. 2. frigidos, & humidos æſtate melius ſe habere, hyeme verò calidos, & ſiccos, male ſe habere in æſtate calidos, & ſiccos, in hyeme verò male ſe habere frigidos, & humidos, complexionem verò mediam. s. calidam, & humidam in æſtate male ſe habere propter calidum, in hyeme male propter humidum, ex quo ſigno ſenſato, & inductione probari poteſt apud ipſum, vt dictum, conſeruari à ſuo contrario, & ita hyemem frig. & humid. æſtatem calid. & ſiccam, 3. eodem Apho. idem reperit eodem ſigno dum 2 3

d. frigidos, & humidos intemperatos iuuenes iuuari
æſtate, lædi verò calidos, & ſiccos, contrarium in hye-
me iuuari calidos, & ſiccos, lædi frigidos, & humidos,
ea enim cauſa, quia diſtemperatis corporibus, immo-
derantia eorum contrario corrigitur, ſimili verò auge-
tur, cùm ergo iuuentus calida, & ſicca, ſit in hyeme,
4 non niſi contraria qualitate frigida, & humida me-
lius ſe habet &c. In eadem 3. par. Apho. 10. & 16. d.
autumnum tabidis malum eſſe, quia cum frigidus, & ſic
cus ſit, & ſimile adauget ſimile, meritò augebit talem
morbum, qui ducit hominem ad frigiditatem & ſiccita
tem, à ſigno ergo, & nocumento in ptiſicis facto arguit,
ſimilem naturam autumni frigidam, & ſiccam eſſe.
Ratio. Poſſet dictum ſuum ratione firmari, ſi .n. hyems frig.
& ſicca magis nociua ptiſicis, quàm autumnus, tum
quia frigidior, & frigiditate maiori ſiccior eſſet, & ita
5 magis noceret. In eadem par. Aph. 11. & 13. d. hye
mem borealem, & ſiccam cauſare morbos, dat cauſam
ibi Gale. quia mutatio illa licet parua ſit, connaturalis
tamen eſt, ex hoc arguitur de mente Hippo. & Galen.
hyemem eſſe frig. & ſicc. ſimul & ponit ſignum ſenſa-
tum probans hoc .i. Cœli, cum vna diſpoſitio de oppo
ſitis ſit naturalis, altera neceſſario innaturalis, ſed hye-
mi diſpoſitio frig. & ſicc. eſt innaturalis, ergo naturalis
erit frig. & humid. patet ſigno, nam effectus tempori
monſtrant naturam eorum, ſi ergo à boreali, & ſicca
conſtitutione in hyeme prouenit morbus, innaturalis
diſpoſitio, ergo cauſa ſua erit hyemi innaturalis, ergo
6 frigid. & humid. erit naturalis. In eadem Apho. 13.
d. ſi æſtas ſicca borealis ſit, autumnus auſtrinus, & plu-
uialis, generari morbos, qui non generantur, niſi ab in-
naturali temporum conſtitutione innaturale ergo erit
au-

autumno auſtrale, & pluuioſum, ergo ſiccum erit ſibi naturale temperamentum. In com. Galen. d. hyemē ſeruare ſuas qualitates cum humida, & frigida ſit, mo- 7
do qualitates ſuæ vocantur naturales ſibi, nam 2. phy. 3. natura ſolum dicit principium ſuum, & ipſam eſſe humidam, ergo frigidum, & humidum naturale hyemi eſſe dicit. In eadem parte Apho. 22. d. autumnum frigidum, & ſiccum, probat ſigno ſenſato in nobis, in illo enim tempore generantur morbi ſplenetici, & malanconici, qui ſunt frigidi, & ſicci, & cum febris ſit diſpoſitio calida, & ſicca ſua natura, non generatur in autūno, niſi quartana, quæ ab humore malanconico cauſatur, quare meritò ab effectu frigido, & ſicco arguitur naturam autumni eſſe frigidam, & ſiccam. In eadem, 8
Apho. 23. dicit hyemem frigidam, & humidam, & probat ſigno ſenſato, generantur in ea vertigines, apoplexiæ, pleuritides, morbi omnes flegmatici frigidi, & humidi, quare arguunt naturam cauſæ s. frigidam, & humidam, ergo hyems eſt frigida, & humida. Hippo. etiā 9
in lib. de natura hum. clare tenet hyemem eſſe frigidā, & humidam, autumnum eſſe frigidum, & ſiccum, ratio poteſt ex ſuis dictis ſumi, & primo ſumit vnum, quod in homine frigidiſſimum, & humidiſſimum eſt pituita, & dum iſte humor euacuatur cognoſcitur 2. ſumit, pituitoſum humorem generari, & augeri in hyeme, & his ſignis probat, primo ex ſputo, & in hemunctione facta in nobis, nam in hyeme non niſi alba, & pituitoſiſſima ſpuuntur, & hemunguntur 2. quia pituitoſiſſimi morbi hoc tēpore generantur, & augentur, vt d. Gale. in com. cum febris ſit morbus calidus, & ſiccus ſua natura non generatur in hyeme, & ſi generatur non niſi pituitoſa, & flegmatica eſt. Ex quibus arguit primo phy. 2. natura

tura propria effectus, monſtrat naturam propriam cauſæ, ſed quorum generantur, & augentur in hyeme effectus ſunt natura frig. & hum. ergo eorũ cauſa .ſ. hyems

Ratio. frigida, & humida. His ergo addo, & eſt regula topica quod vni cõtrario aduerſatur, alteri cõuenit neceſſariò, at cum hyems, & æſtas ſint contraria ex oppoſito tempora, ſi in æſtate pituitoſus humor diminuitur, qui eſt frigidus, & humidus, & ſuæ naturæ aduerſatur, meritò ſtabit cum ſuo contrario .ſ. hyeme generabitur, quę ſua

10 natura, ſicuti effectus, humida, & frigida erit. Præterea, in autumno minoratur ſanguis, qui natura ſua calidus, & humidus eſt, ſed non minoratur aliquod niſi à contrario, ergo autumnus erit frigidus, & ſiccus. Et Aph.

11 22. generatur in autumno nigrabilis ſua natura frigida, & ſicca, ſed 12. Met. 13. & 18. ſimile generatur à ſibi ſimili agente in natura, & ſpetie, ergo autumnus erit frigidus, & ſiccus ſua natura: minorem pluribus ſignis ſenſatis confirmat, ſi homines vomunt, purgantur per pharmaca, ſpuunt non niſi quod mixtum magis atrabili, ſi calores hominum nigri aſpiciuntur, non niſi ex atra bili, & omnes morbi generati acuti hoc tempore, atrabilioſi erunt. Vnde febris non niſi quartana generatur, & augetur, quare, & cauſa propria generans .ſ. natura temporis, talis .ſ. natura frigida, & ſicca, vt atrabilis. Gale. etiam in iſto loco d. Hippo. probare naturas humorum quatuor ſimilitudine ſumpta ex quatuor naturis temporum, dicens ſanguinem calidum, & humidũ ſimilem veri, vt comm. 36. ſup. Aphori. 36. in quo generatur, & augetur, flauam bilem calidam, & ſiccam in autumno generari, flegma frigidum, & humidum in hyeme; idem repetit parum infra, & d. combinationem qualitatem in hyeme ſe habere, vt humores, & tempora

pora ipſa ſi augetur calidum & humidũ viget ſanguis, & eſt ver, ſi calidum & ſiccum, vigetbilis, & eſt æſtas, ſi frigidum, & ſiccum fit atrabilis in autumno, ſi frigidum, & humidum, fit flegma eſt hyems. Probat idem 1. lib. Aph. 27. à virtute pharmaci ſoluentis ad ſeſum 12
exhibitum pharmacum in æſtate bilem trahit, in autũno atrambilem, in hyeme pituitam, in vere ſanguinem effectus ſunt conformes naturis temporum, ſi ergo flegma frigidum, & humidum in hyem virtute pharmaci educitur, ſignificat naturam hyemis talem eſſe, ſimiliter de alijs, & ideo ſtatim iubet Hippo. medicum cognoſcere debere humores neceſſariò, & cognito humore, operari debere ex natura temporum dicta. Et Apho. 42. probat idem experimento ſenſato, videmus morbos per circuitum dierum ſolui, et ſanari, in tem- 13
pore anni in quo inceperunt inuadere, vt in æſtate febres, contrario tempore ſanantur, quia contrarium ſanat, & temperat, hyems ergo contraria æſtati, in qua calidi, & ſicci morbi generantur, ſanat eos, igitur cõtrarijs qualitatibus .s. frigido, & humido. In lib. etiã de Aere, & Aqua Hippo. dicit tempora fore diſſimi- 14
lia natura inter quæ d. hyemẽ frigidam, & humidam, autumnum frigidum, & ſiccum, et ſubdit maximè eſſe vtile ad opus medicinæ has diuerſas temporum naturas cognoſcere, inde enim diuerſi morbi, et diuerſi curandi modi cauſantur.

CAP. III.

Hanc Communem opinionem eſſe ad mentem Ariſtot.

QVOD hæc opinio ſit Ariſtotelis probatur ex dictis ſuis prima par. proble. 6. d. maiores febres fieri hyeme, quàm æſtate, quia à forti cauſa, à qua fortior effectus, in æſtate quia calida, & ſicca & conſtitutio bilis generatur, & augetur propter ſimilitudinem, fit .n. tranſitus de naturali ad naturalem 2. de Gen. 26. & 28. inter ſimilia facilius fit tranſitus, in hyeme verò cùm ſit frigidum tempus, & humidum colera non putreſcit, & ſi putrefit non niſi ex maxima, & forti cauſa, ex qua maior, & fortior febris cauſatur, quare ſecundum ipſum hyems eſt frigida, & humida, ex abundantia pituitæ, & effectus frigidi, & humidi, qui non venit niſi à temporis conſtitutione, & cauſa huiuſmodi, 2. quia propter frigiditatem, & humiditatem ſuam dicit eſſe contrariam coleræ calidæ, & ſiccæ, & non prouenit colera febris, niſi à forti cauſa. In eadem prima par. probl. 19. d. hyemem borealem .i. frig. & ſicc. cauſare morbos, vt Gal. ait .i. de accid. & mot. cap. 1. quòd morbus eſt conſtitutio innaturalis, quæ non prouenit, niſi à cauſa innaturali hyemi ergo ineſt frigiditas, & ſiccitas innaturalis, ergo ſuum contrarium .s. humidum erit ſibi naturale, nam 1. Cœli ſi vnum contrarium naturale, alterum innaturale exiſtit. Et proble. 17. d. hyemem frigidam eſſe & non ſolum humidam, ſed humidiſſimam, probat à ſigno ſenſato, pereunt enim iuuenes, & magis ſenes, ergo frigid. & humid. conſeq. probatur ſumendo ex lib. de long. & breuit. vitæ vbi dicit cunctas res conſtare ex calido, & humido temperato, 2. ſumit ex primo Cœli 20. & 4. Meth. 6. contra-

(Margin: 1. locus Ar. ; 2 ; 3)

tra-

traria ſunt illa, quæ propriè ſe corrumpunt, & maximè ſe réfrangunt ex abundantia vnius contrariis ad alterũ, ex quibus clare patet quod hyẽs ſit frig. & hum. & his duobus ſuperabundans quare neceſſariò corrumpit ſua contraria calidum, & humidum temperatum, cũ qua ſtat vita, & vocauit hyemem humidiſſimam quaſi alijs temporibus excellat & non habens aliud tempus humidius ea &. In probl. 19. d. ſi hyẽs borealis ſit frigid. & 4
ſicc. ver autem auſtrinũ humid. & calid. & æſtas fuerit ſicca autumnum ſequentem fore peſtiferum, modò innaturalitas in autũno non prouenit ab æſtate ſicca, nec neceſſario venit ab aere calido, & humido, quia hoc eſt ſibi naturale, ergo venit magis à ſiccitate hyemis ſibi innaturali, ſi ergo ſiccitas eſt innaturalis hyemi, ergo humidum naturale. Et lib. ad Alex. clarè d. hyemem 5
eſſe frig. & humidam autumnum frig. & ſicc., quod ex multis ſignis affirmat pr. ſigno cõmuni, quia in hyeme generatur phlegma, in autumno atrabilis humid. & ſicc. quæ neceſſariò monſtrant naturas temporum fore tales, 2. probat à caſu foliorum arborum, nam caſus eorum non fit niſi ab humiditate, quæ venit à natura hyemis humida, & folia non cadunt, niſi in hyeme, addit tertium ſignum, frigora conualeſcere in hyeme, ex qua non generatur niſi humiditas, non ſiccitas, tum quia hyeme exaſperatur, augeturq; ventus borealis, quod eſt ab humiditate hyemis. Vltimo in eodem lib. 6
ad Alex. d. virtutes corporum omnium, & maxime viuorum debilitantur, & hoc non niſi humido extraneo 4. meteor. deuincente calidum neceſſariò, ergo hyems humida ex omnibus his ſignis.

CAP. IIII.

Opinionem Communem eſſe Auicennæ.

AVICEN. lib. 1. fen. doctrin. 2. cap. 3. eandem opinionem confirmat ratione, & ſigno, pro ratione ſumit æſtatem eſſe extremè calid. & ſicc. hyemẽ extremè frigid. & humid. dat cauſam, nã 2. Cœli 48. lumine, & motu mediante cauſatur calor in nobis ſua appropinquatione, ſicuti remotione ſua cauſatur frigus, vt dicitur 2. de gen. 88. & patet exemplo 2. Phy. cap. de cauſis pręſentia nautæ in naui cauſat ſalutem, eius abſentia interitum, & pr. Phy. formæ præſentia cauſatur ortus, abſentia interitus, 2. notat lumen ſolis poſſe influi in nobis dupliciter; pr. centraliter .i. à centro ſuperiori oppoſito rei influxæ per angulos rectos nos aſpiciens, & neceſſario reflexione recta radiorum in nos fit ſpiſſio, ideo fortius agens calorem in nos, 2. m. poteſt radios luminoſos influere non à centro, & zenit capitis noſtri, ſed à circunferentia, & ſic reflexione diſperſa, rarefacta, debilius influit calorem in nobis, primo modo talis reflexio fit in æſtate, & facit extremum calorẽ, 2. modo in hyeme influit, & facit frigus extremum, iſtę ergo ſunt cauſæ propriæ, quare æſtas extremè calida ſit, & hyems frigida, ſubdit æſtatem ſiccam eſſe cum extremo calido, hyemem verò humidam, cum extremo frigido, æſtas verò ſicca à ſua caliditate naturali, & omne calidum deſiccat, 2. cauſa eſt quaſi inſtrumentalis aer nõ reſolutus à calore æſtatis, 3. eſt priuatiua humidi veris, vel terræ, eſtq; caſus roris, & pluuiæ, quæ non fiunt vel minus in æſtate, remanet ergo ſicca, priuata cauſa humiditatis, hyemem verò humidam per regulam topicam oppoſitorum oppoſita ſunt prædicata, ſi hyems

oppo-

oppoſita æſtati, quæ ſicca, meritò erit cauſans humiditatem, & humida ex oppoſitis cauſis, æſtas ſicca propter extremum calorem, hyems extremè frigida, quia caret calido 2. quia ver non deſiccatur à calido, vnde reſoluatur ab humido ſuo, ſed à frigido, autumnus in ſui frigiditate auget hyemis humiditatem, 3. quia in ea plurimum cadit de rore, & pluuia. De autumno verò dicit licet in calido, & frigido ſit temperatum, non tamen in humido, & ſicco probat, motus, & lumen ſolis reflexum, cauſa propria caloris eſt in nobis, ſed in autumno lumen ſolis non reflectitur centialiter, & directè per zenit capitis noſtri, vt faciat extremè calidum, vt in ęſtate neceſſariò, per circunferentiam vt faciat extremè frigidum in hyeme, ſed medio modo inter ambo, quare meritò affectus .s. calidum, & frig. in autumno erit medius, & temperatus, probat 2. autumnum temperatum in humido excellere primo in ſiccitate ab aere deſiccacato calido ſolis in æſtate, 2. cum non habeat cauſam, qua fiat humidus, remanet ſiccus, cum ſiccitate propinqua æſtati, & 1. de gen. cap. 1. omne tactum, & propinquam alteratur ab agente contrario agente in ſuam naturam propriam, ſicuti autumnus à caliditate, & ſiccitate æſtatis contigua, ita in ſimilem cadit naturam, & calidum citò mutatur in frigidum, ſed non ſiccum in humidum, niſi difficulter, & longo tempore, quare poſt æſtatem autumnus citò de calido fit frigidus, ſed non de ſicco humidus ſed dices ſicuti calidum facit ſiccum in æſtate, ita frigidum facit humidum in autumno. Reſpondet, & ſumit calidiſſimum per ſe deſiccari, & frigida non per ſe humectari probat 1. poſt. cap. 13. omne per ſe eſt de omni, quodlibet calidum deſiccat, quodlibet frigidum humectat, ergo licet per ſe calidum deſic-

An ſicut calidum faciat ſiccũ in æſtate, ita frig. faciat humid. in autumno.

cet, non tamẽ frigidum per ſe humectat, minorem pro bat à ſigno vt Gal. 2. de temp. cap. 1. aliquando vnam, & eandem rem magis humectat calidum, quàm frigidũ, quia frigidum comprimit, calidum reſoluit, digerit, quo digeſto fit res humida, ideo dicebat, ſenes in temperamento ſiccos, quia frigidi, & impotentes digerere humiditatem, ibi membra remanent ſicca, conuerſo humido, & congelato in phlegma, contrarium de iuuene, & puero, qui calidi, potenteſq; digerere cibum in humidũ membri, à quo remanet humidum, non ergo quodlibet frigidum humectat, imò aliqua res magis calido, quàm frigido humectatur, probat ſimili ſigno quaſi remouendò dubium, aliquis enim diceret ſi calidum in æſtate facit remanere ſiccum in autumno, cur frigidum hyemis non facit remanere humidũ in vere? Reſpondet nõ eſſe niſi cauſas prædictas, quia quodlibet calidum ſiccat, ſed non quodlibet frigidum humectat, quare caliditas æſtatis remanens in autumno, quæcunq; ſit, quia vera eſt de omni, poteſt facere ſiccum in autumno. Quia verò non quodlibet frigidum humectat, & frigidum hyemis remanet in nos, non neceſſariò ſequitur vt faciat humidum in eo. Confirmat quia in vere ſol incipit appropinquare ad nos oppoſitione centrali zenit capitis noſtri, ideo diminuto frigido, aucto calore, diminuitur humidum hyemis, augetur ſiccum aliqualiter veris. Probat iterum alio ſigno, ſtante proportione calidi, & frigidi, ponatur res humida, & res ſicca in ea, citius res humida fit ſicca à calido, quam ſiccum faciat humidum à frigido, ergo calidum per ſe ſemper deſiccat, frigidum non per ſe humectat. Iterum alio ſigno, humidum non remanet, niſi remaneat cauſa à qua remanet ſiccum eſſe, quia eſt habitus, qui non venit niſi à cauſa præſente,

Cur frigidũ hyemis non fuit remanere humidum in vere.

&

& inſeparabili, ſiccitas verò eſt ſola priuatio, nam citò ducit ſiccũ & humidũ ſe habet vt habitus & priuatio. Vnde humectatio apud ipſum eſt ſubſtantia humidę ac quiſitionis, ſicuti deſiccatio eſt eiuſdem deperditio, modo priuatio fit ſine preſentia, & exiſtẽtia cauſæ, ſed ſola abſentia cauſæ à qua venit habitus & humiditas, ex quo infert intentũ, ꝙ ſine præſentia cauſæ ſiccitas, ſola verò abſentia cauſæ humidę cauſatͬ humiditas, ſola cauſa exiſtẽte, & pręſente, facilius ergo eſt rem deſiccari, vt autũnum in quo nulla cauſa eſt humidi, quàm hume fieri citò, quod indiget præſentia cauſæ humectantis & clarè exemplo monſtrat, facilius perditur nauis priuata nauta, quia ſola abſentia nautæ, qui eſt cauſa ſalutis, vt ſaluetur nauis, ꝙ non fit niſi pręſente, & exiſtẽte cauſa nauta. Iterum confirmando ſoluit aliud dubium videmus .n. rem in aere poſitam citò deſiccari, quę eſt cauſa? Reſpondet ad problema, ex quo confirmat intentum ſuũ, & ſumit humidum non cauſari, non conſeruari, niſi pręſentia, & abſentia cauſæ propriæ, 2. ſumit in vere eſſe calorem ſtellarum, & ſolis lumine, & motus, qui ſemper calefacit, reſoluit humidum veris, 3. frigidum veris non eſſe in tantum, & tale, vt humectet, imò temperatum calido reſoluendo deſiccat, quò ſtante dat cauſam problematis, confirmando dicta ſua, ideò res in vere deſiccatur citò, quia in vere non eſt frigidum humectans, & cauſa permanens, vt dictum eſt, humidũ, quia habitus non venit, niſi à cauſa permanente, abſentia cuius venit ſiccitas 2. quia cauſa deſiccans continuo aerẽ eſt calidum ſolis, & ſtellarum, 3. frigidum veris non eſt tantum, vt humectet, ſed temperatum calido, vt reſoluat, & reſoluendo deſiccet. Vlt. ſi quæras ab eo, quomodo dicimus ver calidũ, & frigidum? Reſpondet nõ *Cur poſita in aere facilius eſiccentur.*

qua-

qualitate naturali intrinſeca, ſed acquiſita extranea, ver humidum ex ſubſtantia humida extranea acquiſita, ſiccum verò propter de perditionem eiuſdem, modò quod eſt acquiſitum non eſt naturale 2. phy. 1. Ex qui bus patet in ſummo velle Auic. autumnum frigidum eſſe temperatè, & ſiccum intemperatè, hyemem frigidam, & humidam eſſe intemperatè.

CAP. V.

Eandem opinionem eſſe Auerrois.

AVER. 2. collig. c. vlt. idem aſſerit de autumno eodem Ariſt. ſigno, quia virtutes tam naturales, quam animales debilitantur non niſi frigido, & ſicco, cùm augeantur calido, & humido, quia contrariorum contrariæ ſunt cauſæ.

CAP. VI.

Cap. 2. in quo Redarguitur opinio Hipp. & Gale.

REDARGVITVR Hipp. & Gal. ex ſuiſmet dictis 1. de nat. hum. & 36. Apho. arguit hyemem fri gid. & humid. eſſe vt dictum, quia in eo phlegma gene ratur, quod eſt humid. & frigid. Ego arguo contra ex oppoſito antecedentis inferendo oppoſitum conſequẽtis, hyeme exhiſtẽte impoſſibile eſt generari in ea phleg ma, ergo impoſſibile eſt eam eſſe frig. & humid. Dices primo prior. & Auer. in Epit. & quæſt. de ſyllogiſ. hipotet. à poſitione antecedentis, ad poſitionem conſequentis, nòn valere conſequentiam. Ad hoc reſpondet Auer. non valere de forma, ſed valere de materia, & ſolum de neceſſaria, & propria, & .i. de ani. 13. quò ſtante

ſtante vel Hipp. arguit in materia neceſſaria demonſtratiua, vel non, ſi non, & retoricè, vel topicè arguit, ratio iſta ſua nulla eſt, ſi in materia neceſſaria, conſequentia noſtra etiam erit bona; antecedentis deſtructionem improbamus cum Gal. loco dicto, & primo ſumimus ex ipſomet Hipp. primo par. Aph. 15. animalia hyeme indigere maiore nutrimento, dat cauſam, quia fit maior, & fortior digeſtio ex maiore, & fortiore calore innato, & aucto frigido hyemis interpellante, & vniente calorem, 2. ſumimus ex ipſomet, phlegma frigidum, & humidum nil aliud eſſe, niſi chilum indigeſtum, quod ſi vltra digeratur, vt dicit ibi Gal. vertitur in ſanguinem calidum, & humidum 3. not. Ariſt. 4. meteor. ſicuti digeſtio fit calore naturali vincente humidum, ita indigeſtio infrigidato, & impotenti calore in humidum, hoc idem prima par. probl. 33. & 39. Cur minus & fortius ægrotant homines Reſpōdet quia fit fortis calor intus, denſato propter frigidum aeris extra calorem fortificantem, & ideo maior digeſtio, & minus phlegma generatur, & indigeſtum; ſed magis ſanguis, & vere nutrimentum, ex his conceſſis de facili redarguitur Hippo. vbi maior digeſtio & fortior calor, non phlegma frigid. & humid. generatur, vel aliquod indigeſtum, ſed potius digeſtū .s. ſanguis calidus, & humidus in hyeme calor naturalis eſt fortior, & maior, ergo digeſtio neceſſario erit maior, & ſanguis potius, & alimentum, quàm indigeſtum, & phlegma in vere generabitur, quod intendebamus probare. Ad hanc rationē reſpondet Gal. Aph. 36. generari phlegma in hyeme à frigore, & aliis cauſis, quas numerat, & ſunt iſtæ, frequentes pluuiæ, longitudines noctis, aquæ ſunt frigidæ, & humidæ, & ideo cauſant humorem ſimilem .s. phlegma frigidum, & humi-

Cur min⁹, & fortius ægrotāt homines.

Redargutio.

Solutio.

humidum, ſupplet Gal. veſtrum inopia, & aliqua exercitia in frigidantia ſtomachum, & ventrem, e par, & pectus, & alias partes, quæ infrigidatæ minus digerunt,& indigeſtum remanet, & phlegma. Addit Gal. cibum, potum maximum in quantitate hoc facere cum ob hoc digerere non poſſit,& vinum cum non digeratur eſt aptum ad generandum pituitam, caſeus, olera, rapæ,porri, lactucæ, carnes porcinæ,& multa alia ſuapte natura, ſuaq; qualitate generant pituitam, ex quibus d. phlegma generari in hyeme natura ſua frigida, & aliis dictis

Confutatio cauſis. Hæc Gale. ſolutio eſt potius redargutio maior, falſum eſt .n. in hyeme maiores pluuias generari, imò vere videntur ad ſenſum, in hyeme glaties boreales venti, quæ omnia naturam hyemis ſiccam ſignificant. Et ſi verum eſt quod dicunt in hyeme, qualitate ſua naturali intrinſeca, non cauſari phlegma, ſed ab aliis extrinſecis cauſis, ergo non ſua natura, quia 2. phy. 3. natura eſt principiũ intrinſecũ,& non extrinſecũ,ergo non per ſe,ſed per accidens, tunc ſic phlegma eſt mediũ ſumptũ ad probandum humiditatem hyemis non perſe, & naturale eſt hyemis, vt probatũ eſt, ergo non eſt medium demonſtratiuũ, quia primo poſt. 193. & 195. in omni demonſtratione, media debent eſſe perſe, ergo rationes topicæ, vel rhetoricè ſunt, quæ non neceſſariò inferũt. & 2. de temp. cap. 2. rationi illorum qui probant ſenectutem humidam,quia in ea generatur pituita. Reſpon. Gale. quod hoc conuenit ſibi per accidens, non ſua natura in mẽbris ſuis, & cauſa ſenectutis erit humida per accidens, nam membra ſenis ſunt ſicca perſe, quia frigida extrema, cum quo ſtat frigidum, non humidum. Ita ego dicã ſi generatur pituita in hyeme per accidens, non ſua natura, & cauſa humida per accidens,ſuapte na

tura

tura ſicca, quia extremè frigida, cum qua ſtat ſiccum & non humidũ, modò vt d. ipſe, & Ariſt. 2. Cœli 108. artifex docere debet res quò ad ſuam naturam, & non quò ad eſſe accidentale; amplius ſi hyemes humida eſt propter generationem phlegmatiſi non à ſua natura, ſed à qualitate, & quantitate cibi, inopia veſtium & alijs vt patet ad ſenſum, hoc poteſt contingere non ſolum in hyeme, ſed in alijs temporibus, imò magis in æſtate, nam quod eſt commune omni tempori, & non magis vni, quam alijs, non debemus vni tribuere, cum cõmune, & magis ſit in alijs temporibus, ac conueniat quod hoc fiat magis ex iſtis cauſis, & alijs temporibus, & minus in hyeme, probatur p. par. aph. 15. d. in hyeme, fortiorem calorem eſſe, & magis digeri quam alijs temporibus, ea cauſa maiori homines indigere nutrimento, quantitas ergo cibi non facit indigeſtũ & phlegma in hyeme, ſicuti in alijs, imò neceſſaria, & vtilis ad maiorem digeſtionem, ſimiliter in hyeme calor intrinſecus fortior fit, magis reſiſtit qualitati cibi, & potius, etiam aliis cauſis extrinſecis alterantibus, vnde minor indigeſtio, & phlegma fit, in æſtate verò, calore magis naturali & frigidorum ciborum maiori copia, & vſu, magis phlegma generari debet, quàm hyeme. Et Ariſt. prima part. probl. 17. natura hyemis eſt coagulare humidum ſuo frigido, & quia coagulatio eſt quædam deſiccatio, quia d. natura ſua eſt coagulando deſiccare, cum ergo hyems humidum indigeſtum à pluuiali autumno aſſumpſit, coagulando ipſum, & eſiccando facit phlegma, hoc igitur in quantum humidum, ſi generatur, non ex natura hyemis, ſed humiditatem habet ab autumno, qui humidus eſt, & coagulationem, & eſiccationem habet ab hyeme, quæ cum extremè frigi-

D da

da ſit, eſiccat imò potiſſimum ſignum eſt hoc ad monſtrandum naturam hyemis eſſe magis ſiccam, quàm autumnus ſit. Addo calorem natiuum in autumno propter æſtatem præcedentem ſuiſſe diſperſum, & ex conſequenti debilitatum magis quàm hyeme, & magis cauſare indigeſtum, ideo pituitam magis in autumno generari, quàm hyeme. Hippo. etiam lib. de aere, & aqua dans ſalubrem temporum conſtitutionem d. ſitus ſtellarum, & caſus earum, quibus temporum anni cauſantur varietates, facit vt in autumno aquæ multæ, hyeme paucæ, ſed tempus ſerenum, frigidum, & ſiccum, non plus quàm ſuæ naturæ conueniat. Ex quibus ſequitur redargutio, in hyeme in ſuo eſſe naturali aquæ paucæ, ergo effectus frigidus, & humidus, eſt paucas, & diminutus ergo hyems diminuta in humido eſſe debet, quia qualis cauſa, talis effectus, & d. etiam Hippo. hyemem in eſſe naturali ſerenam, modo ſerenum nil aliud eſt, quam ſiccum. Vltra dicit in autumno multæ aquę fiunt, multus effectus humidas ex multa aqua. Vnde veritate ductus, ſic faſſus eſt. Sed poſſet quis dicere parum infra Hipp. dicere conſtitutionem innaturalem fieri ex hyeme boreali, & ſicca. Reſp. idem ſi ſit ſiccum pluſquam opportunum ſit & naturæ ſuæ conueniat, & ideo dicebat ſupra naturam hyemis eſſe in ſereno .i. in frigido, & ſicco conſtitutam, conueniens ſuæ naturæ.

Redargutio Hippo.

Ratio Gale. & redarg.

Galc.2. de temp. cap. 2. d. hominis ortum, & vitæ principium incipere calido, & humido, probatur, quia incipit oriri ex ſpermate, & ſanguine, quæ ambo ſunt calida, & humida, probatur etiam experimento ex anathomia ſumpto, nam per eam videmus membra ſpermatica in prima ætate humida, vt caro oſſa, nerui cartilagines &c. quæ natura ſua ſunt ſicciora, & in principio ortus

tus

tus hominis ſunt humida, extenſibilia vt caſeus mollis recens, caro mutilaginoſa in eis, non niſi ex humido, figuratur de facili, quod proprium eſt humidi, & caro eorum ſine ſapore, non niſi humido impediente, tum quia mulieres ipſæ, & oſtetrices oſſa, & membra infantium, propter mollitiem humido, & calido confectam figurant, comprimunt, corrigunt ad earum libitum: probatur etiam loco Ariſt. in lib. de long. & breuit. vitæ, qui d. incipere principium vitæ calido, & humido, dat ſignũ à viſu vaporis humidi, modo calor pueri vaporoſus videtur, ergo humidum excellit, probat etiam ſenſu tactus, calor .n. pueri ſuauis eſt tactu, & venit ab humido ſibi mixto, præterea ſumit ortum pueri, vel ætatem pueritiæ aſſimilari veri, quia eſt calida, & humida temperatura ſicut ver. Secundo, quia vt dictum, in vere ſanguis abundat etiam in pueris 3. ſicut in vere ſol accedens ad nos initiat iter, calore, & humido incohante, ita in pueritia aucto calore, & humido, perficit quantitatem rei generatæ: ſumimus etiam ex ipſomet cap. prædicto antiquiſſimum tempus hominum eſſe ſenectutẽ, vt d. etiam 3. par. Aph. 41. ſenectutem conſiſtere cum ſiccitate extrema ex toto oppoſita vitæ principio, & primæ ætati pueritiæ ibi membra calida, & humida rore, in ſenecta frigida, & ſicca ſine rore aliquo humectãte, nerui cartilagines, oſſa, cor, lacerti, venę pulſatiles, & non pulſatiles deſiccatæ, ſicuti res inſaporoſæ, inguſtabiles, & extremo ſiccæ: probatur ratione principiĩ, & finis motus ex toto opponuntur .i.n. Phy. à tex.41. vſq; ad 47. & 10. Met. 16. principia communia originalia ſunt formæ, & priuatio, nam 3. Phy.4. & 6.Phy. 132. motus generationis partim eſt à termino à quo, & partim ad terminum ad quem, ſed primum tempus pue

ritiæ,& vltimum ſenectutis, ſunt vltimi termini motus vitæ humanæ, ergo ſenectus erit vt priuatio humidi, ſicut pueritia ex cålido, & humido, & ſenectus ex toto pueritiæ oppoſita erit .s. frigida, & ſicca. Sumimus quarto ex ipſomet loco prædicto. Inuentus licet ſicca dicatur, tamen non vlt. ſicca, ſed medio modo, nec vltimo humida ſicut pueritia, nec vltimo ſicca ſicut ſenectus, ideo reſpectiua eſt, & dicitur humida reſpectu ſenectutis, quæ vltimo eſt ſicca, & dicitur ſicca reſpectu pueritiæ quæ vltimo eſt humida,& ratio eſt, nam à pueritia ad iuuentutem ſemper augemur, à iuuentute ad ſenectutem, ſemper deficimus, modò auctio, & diminutio eſt ſtatus medius; & motus qui habet eſſe medium inter extrema, & quanto magis vicinius vni extremo, tanto plus de illo participat. Prætcrea aſſumimus neceſſariò apud ipſum hyemem aſſimilari ſenectuti vltimę primo quia ſenectus vltima vt d. propinqua eſt fini noſtro, & fini motus vitæ noſtræ, quæ fit cal. & hum. ſicut hyems finis motus ſolis, qui calido generat vitam rebus naturalibus, incipit .n. declinare, & declinat in hyeme maximè ſol. 2. ſicuti principium, ita finis ad finem, ſed pueritia principium vitæ noſtræ,opponitur igitur hyemi, in qua finis & declinatio eſt motus ſolis 3. vt dicemus marceſcunt omnia vina in hyeme, ſicuti in ſenectute marceſcit tota vita humana. Ex quibus prçconceſſis ab ipſo, ipſummet redarguimus, ſicuti ætates ſe habent, ita tempora ſed p. ætas apud ipſum pueritia, cui ver aſſimilatur eſt humida in vltimo, & ſenectus aſſimilatur hyemi, tempora media ætatibus mediis, ergo hyem extremè frigida, ſicuti ſenectus, vt ipſe d. & reliqua tempora temperatè humida, ſicuti ætates mediæ, ratio .n. conceſſa ab ipſo à ſimili, ſicuti prima ætas prin

cipio

cipio vitæ animalium calido, & humid. conſtat, ita ver principium primum generationis, & vitę rerum naturalium, & in prima ętate innatus calor augetur aucto calido, & humido, ita in vere augetur generatio, & vita rerum aucto calore, & humido approximatione ſolis cauſata, ſimiliter habet ſenectus cum hyeme in ſenectute propter remotionem caloris, & auctionem frigidi, vltimo corruptio fit, ceſſat vita, ita in hyeme propter declinationem, & remotionem caloris ſolis, corruptiones rerum, mortes, & marcedines fiunt, aucto frigido. Demum vti ætates menſurant viuentium, & animalium vitam ita tempora anni omnes res naturæ: quare ratiò fuit à ſimili. Addo ſi concedit tempora inter pueritiã, & ſenectutem eſſe media ſicca, & humida nõ extremè, dicit etiam iuuentutem non extremè ſiccam ſicut ſenectutem, pueritiam verò, quam veri aſſimilat, extremè humidam, reliqua tempora media, vt autumnum humidum eſſe temperatè, non ſiccum, vel ſiccius hyeme. Addo 2. de temp. cap. 2. incuſat antiquos, qui dicebant ſenectutem frigidam, & humidam propter iſta ſigna, ob multam ſaliuam in ore in eis abundantem, multam mucilaginem in auribus, ex multis oculorum lachrymis, quæ omnia ſigna etiam ſignificant in ventriculo, pulmone, pectore exiſtere magnam phlegmatis copiam. Incuſat ipſos Gal. errare, & eorum ſoluit rationes, pro quibus aſſumit artificem primo debere loqui de ætate humana, iuxta eſſe ſuum naturale, & cauſam ſuam naturalem .s. quod debet eſſe iuxta ſuam naturam, non iuxta eſſe accidentale quod habet à ſua cauſa accidentali vt d. Ariſt. 2. Cœli. 108. & ipſe etiam 2. de temp. c. 4. ſumit 2. corpus humanum viuum conſtare membris radicalibus ex ſpermate ortis .s. oſſe, carne, neruiſet.

An ſenectus frig. & humida.

hu-

humoribus verò conſtare per accidens, probat 1. Phy. 68. quibus res per ſe generantur, per ſe conſtant, pueri per ſe generantur, ex membris ſpermaticis, non humoribus, ex ipſis ergo naturaliter conſtant, tum quia humores quodammodo ſunt ſuperflui, & nullum ſuperfluum eſt natura alicuius, quia natura non hoc facit, & d. in 2. de temp. cap. 2. in ſenibus pituitam, & humida phlegmatica generari propter defectum caloris naturalis, in membris principalibus, vnde non poſſunt digerere nutrimentum, quò humectantùr membra, in ſenibus ſicca, & arida remanent. Ex quibus ſoluam ego antiquorũ rationes, licet in ſenectute ſint humida phlegmatica, & pituitoſa, vt ſignis probarunt, tamen illa humida extrementitia ſuperflua in euacuationibus corporum non ſunt ſubſtantia membrorum, imò membra carent humectatione cibi, & quantò magis ſeneſcunt, tantò magis eſiccantur, & eorum membra remanent ſicca, ex quibus ſequitur ſenum corpora in ſenectute eſſe humida, non ſua natura, quia ſic membra ſicca remaneat, ſed per accidens ab humoribus in euacuatione eorum exiſtentibus à quibus habet eſſe accidentale, & cauſa erit humidum per accidens, in ipſis aceruatum: modo artifex vt dictum, debet loqui de re ſecundum eſſe ſuum naturale, ex quibus clare redarguitur Gal. nam licet in hyeme ſint phlegmata, & alia humida, non tamẽ propter hoc debemus arguere hyemem in ſuo temperamento eſſe humidam, quia ego dicam non cauſari ab eſſe ſuo naturali hyemis, quia vt ipſe etiam concedit 2. de temp. cap. 1. ab extremo frigid. non venit humid. ſed neceſſariò venit ſiccum, modò hyems in extremo frigida, ergo non habet cauſare niſi ſiccum, & non humidũ, ſed dicam quòd conuenit hoc à ſuo eſſe accidentali, nã pro-

propter caloris debilitatem & ſolis remotionem non poſſunt vltra digeri, & euaporari humida, ſed remanēt intra corpus in concocta phlegmata, vel ex aliis cauſis accidentalibus ſupra enumeratis, quare hyems ſuo temperamento ſicca, vt debet dicere artifex, humida verò per accidens. Addo ex d. Aph. 36. inueſtigans cauſam pituitæ in hyeme, quia memor erat eius quod dixerat prima par. Aph. 15. calore naturali exiſtente forti, generari ſanguinem, non pituitam inconcoctam, ſed eſſe cauſam accidentalem hyemem extrinſecam, modò ſicuti effectus, ita naturæ cauſa eſſe debet, ſed humida per accidens fiunt in hyeme, ergo hyems erit humida per accidens, non perſe.

CAP. VII.

Ariſtotelis opinio redarguitur ex ſuismet dictis varijs.

ARISTOT. redarguitur nō niſi vera ratione,quæ apud ipſum fortior eſſe debet auctoritate eius famoſa. Prima par. probl. 3. dicit tempora, æſtates,ventos in qualitatum complexione proportionari : quo ſtāte 2. de gen. elementa ſic ſe habent, extrema, vt ignis calidus, & ſiccus, & terra frigida, & ſicca, media, vt aer, & aqua humida, ille calidus, hæc frigida : Ita tempora pora extremè calida, & ſicca vt æſtas, frigida vt hyems, media verò humida, ver calidum, autumnus frigidus. Et proportio quam ipſe concedit poteſt probari ratione à ſimili, ſicuti terra, & ignis extrema ſunt in qualitatibus actiuis, calido, & frigido, ita hyems, & æſtas in calido, & frigido ſe habebunt. Secundo conceſſit tempora ſim ilia eſſe ætatibus, ſed vt dicemus ad mentem

1. locus, & redargutio.

Gale.

Gale. & Hipp. & Ariſt. in lib. de iuuent. & ſenectute, vltima ætas .s. ſenectus eſt frigida & ſicca, ergo vltimũ tempus quod eſt hyems erit frigidum & ſiccum. Con firmatur 4. Method. 3. & 8. dicit modum quo omnes res naturæ veniunt ad corruptionem, & finem eſſe oppoſitum ei quo veniunt ad generationem, & eſſe quia per regulã topicam oppoſitorũ oppoſiti ſunt effectus, ſed modus generationis eſt iſte .s. ab extremo humido imperfecto non naturali, quia non aptum ad eſſe, opus naturæ rei mediante motu auctionis, oppoſito modo fit corruptio, diminuto calore vincit humidum non determinatum, indigeſtum ab eo, & res remanet humida, & putreſcit donec omnino diminuto calore, & aucto frigido extremo, continuo euaporando humidum, res fiunt ſiccæ, vltimo marceſcunt, vnde vt dicit ipſe, res prius putreſcunt ab humido, deinde marceſcunt à ſicco: exemplum vt dixit Gal. 1. de temp. cap. 2. in principio vita incipit ab extremo humido in pueritia, inepto ad eſſe, & opus humanum, demum aucto calore diminuitur humidum extremum, donec reducatur ad tẽperatum naturale, & perfectum aptum ad eſſe, ad opus hominis, & hoc in iuuentute, & ſtatu in quo ſtat, ſub tali temperamento, & perfecto humido, tertio diminuto calore, & non digeſto, & determinato humido, ab eo vincitur humidum, & res fit humida, vt in ætate ante ſenectutem, demum diminuto calore, aucto frigido, & reſoluto humido, marceſcit, & fit homoſimus in ſenectute: & ideo in temporibus cum ſint res naturę, id ẽ motus, idem ordo eſſe debet: in vere aſſimilato pueritiæ, res maximè humidæ, vt monſtrunt plantæ, & deinde aucto calore diminuitur extremè humidum, reducitur ad temperatũ, & naturale aptum ad eſſe, ad opus

naturæ

naturæ vt in plantis ad fructum producendum, & hoc in æſtate, tertio diminuto calore in autumno, ſequitur exceſſus humidi, & res erunt humidæ iterum extra naturam, vt in autumno, vltimo diminuto calore quantũ poteſt apud naturam aucto extremo frigido, euaporato humido quantum poteſt, acquiritur ſiccitas poſſibilis in temporibus, & hoc in hyeme, demonſtratiuè ergo ſequitur, ex hac ratione autumnum humidum vltra naturas rerum, & hyemem ſiccam, quantum temporum natura patitur. Dices ſi humidum intemperatum eſt in autumno, & in vere, quomodo differunt. Pro ſolutione notandum quod 3. & hic. 6, & 2. Phy. 51. à fine natura, & ars ordinat, & neceſſitat, hoc idem 2. de anima 49. & 7. Met. 23. & 2. Phy. 88. forma eſt finis naturæ, & ideo quæ ſunt ad formam naturalia ſunt, quæ verò ad corruptionem non ſunt ad naturã, quia mors, & corruptio, non ſunt finis naturæ, ex quibus patet vera ſolutio, in vere eſt ſuperabundanti humidi, & in autumno etiam, ſed illa veris dicitur naturalis à fine, quia ordinatur ad naturam .s. ad eſſe perfectum in æſtate, ſi .n. humiditas non ſuperabbundaret in vere nõ poſſent augeri res ad eſſe perfectum in æſtate, nam 2. de ani. & primo de gener. cap. proprio acquiſitio qua acquiritur eſſe perfectum non fit ex æquali, ſed ex ſuperabundanti, & ideo 2. de temp. cap. 2. calidum, & humidum in pueritia eſt naturale, & maius, quia ordinatur ad auctionem, quà acquiritur eſſe perfectum in iuuentute aſſimilata æſtati; humidum verò ſuperabundans in autumno innaturale eſt, quia ordinatur ad corruptionem, quę non eſt finis naturæ, ſed contrarium, & innaturale, ſecundo differunt, quia calidum, cum quo ſtat vita, & eſſe humanum eſt naturale, humidum verò, autumni de-

Quõ differũt autumnus, & ver in humido.

uincit calidum, imò cum frigido, & locis dictis cauſa humida deuincente calidum fit indigeſtum, & putrefactio, & corruptio, & mors rerum & ideo innaturale. Et patet ad ſenſum maximas, & continuas putredines fieri in autumno, quare maxima humiditas vincens calorem, ideo innaturale humidum, quia apud naturam primo de ani. 83. forma vincit materiam, & actiuum paſſiuum ſed 4. Meth. 1. humidum eſt qualitas paſſiua ergo cum innaturale humidum vincit calidum, erit putredo. Et (vt dicunt medici) mutatio coloris non fit niſi ab indigeſto humido ſuperabundanti vincente calidum, vt ſenſu patet, folia in autumno non cadent, mu tant tamen colorem, & meritò putraſcunt in autumno cum humido ſuperabundanti vincente calorem neceſſa riò. Ideo Auic. d. cap. proprio de temporibus anni fo lia non cadunt in autumno, ſed incipiunt cadere, quia putreſcunt ab humido ſuperabundanti quę putredo via eſt, & principium ad caſum. Exemplum eſt in pilis ca dentibus, in ætate ante ſenectutē ab humido ſuperabūdanti putreſcunt pili, & colorem mutant in album, demum propter ſiccitatem extremum in ſenectute cadūt. Similiter ſecundum ſignum eſt contra ipſum, dum d. hyemem humidam quia maximè frigida contrarius eſt verius ad ſenſum, quia maximè frigida ideo ſicca, vt aqua quæ maximè humida cum extremo frigido fit ſic ca, gelatur, & glaciatur. Et ipſemet Ariſt. 4. Met. 7. & 8. dicit putredinis cauſam cùm maximo humido ſuperabundanti non poſſe fieri in maximo frigore, & hyeme, dat cauſam, quia habet potentiam ſuper aquam, & aerem, quæ ſunt humida, quaſi dicat deſiccando eā in extremo, ergo cum frigido non ſtat humidum, ſed ſic cum, & Gale. 2. de temp. d. ſenectutem extremè ſic-

cam,

cam, quia extremè frigida, & ideò laudauit Ariſt. qui in lib. de long. & breuit. vitæ aſſimilauit eam putredini, & ſiccitati plantarum & Auic. cap. de humoribus hoc idem concedit extremè frigidum eſiccare, & ideò hyems ſicca, & frigida non humida. Præterea 2. part. probl. 33. dans cauſam cur non magis ſudant homines hyeme, quàm æſtate, dicit, quia frigidum denſans calorem digerētem humidum, euaporat, & ipſum conuertit humidum; ergo deſiccat, ex ipſomet ſgitur probatur frigidum hyems deſiccare. Similiter tertium ſignū d. deperdi virtutes in hyeme, ergo frigid. & humid. Cōtrarium eſt verius, ad ſenſum videmus in hyeme vt d. idem in lib. de ſenect. ad Alex. & 2. part. probl. 33. à frigido hyemis intrinſecari calorem, naturalem, & fortiorem fieri, & ideò digeſtiuam virtutem fortiorem fieri, & maiori indigere nutrimēto, & ad ſenſum videmus omnes virtutes ſenſuales corporis fortiores reddi in opere in hyeme, igitur frigidum hyemis coagulat, conglutiuat humidum, & ſanum reddit, confortat etiam virtutem, & non deperdit eam, vnde idem Ariſtot. 4. Met. 7. & 8. dicit putredinem non fieri in extremo frigido, & hyeme, & prima par. probl. 9. quærit Ariſt. quare in hyeme auſtrina humida, vere verò ſicco fiunt morbi, inter alia d. quia tempora ſuam non ſeruant naturam, nā hyems cum ſua natura ſit ſicca, ſi ſit humida, eſt extra ſuam naturam, & in hoc clarè ſibi contradicit. Ariſto. ibidem probl. 12. d. autumnum ſiccum generare morbos, non niſi innaturalitate ſua, cùm humidum ſit natura, ſiccum autem extra naturam, & prima part. probl. 17. quærit quare laborantes longa ægitudine, tempore ampleiade ad zephirum moriūtur, in dando primā

2. locus Ar. & redarg.

3. Locus & redargutio.

ſolutionem d. hyemem ſuperabundare in humido, & frigido, in dando ſecundam d. oppoſitū, & ſumit duo, primum laborantes longo morbo eſſe vt ſenes, quia am bo frigidi, & ſicci ſunt, 2. ſumit hyemem ex ſuperabun danti eſſe frigidam, & ſiccam, probat ſigno, nam in ea glaties fiunt, & vt dixit in lib. de long. & breuit. vitæ ignis additus igni eſt pabulum alterius ignis, & facit fu reſcere, ex quo dat cauſam cùm hyems frigida, & ſicca extremè ſit, laborantes longo morbo ſunt vt ſenes .s. frigidi, & ſicci, quorum ſi augetur ſiccitas, citò conſu muntur, & in lib. de long. & breu. vitæ d. ſenes frigidiſ ſimos, & ſicciſſimos laborantes longo morbo ſiccari, per ſignum ab ipſo conceſſum .s. extremo frigido om nia eſiccari, quia congelantur, & glaciantur, ideò con cludendum hyemem extremè ſiccam. Et probl. 20. d. in hyeme denſitate facta à frigido, humidum intra cor pus contrhai, & ſimul denſari cum calore agente, & di rigente fortius, ideò hyeme minus ægrotare homines, modò humidum denſatum, & contractum, deſiccatum eſt, ſicuti patet in aqua gelata effectus ergo ab hyeme deueniens ſiccus, ſicuti natura hyemis eſt: ſecundo d. humidum magis pati à calore, & ideò magis deſiccari ab ipſo. Effectus itaq; hyemis ſiccus eſt, ſicuti ſua na tura, & in lib. de ſecret. ad Alex. cap. de temp. ann. ad ducit ſigna probantia hyemem frigidam, & humidam, quæ omnia ipſe redarguit, primum ſignum eſt caſus fo liorum in hyeme quod eſt contra ipſum 4. Met. 6. res naturales prius ex ſuperabundanti humido, & victo ca lore putreſcunt, vltimo euaporante humido, victo ca lore, & aucto in hyeme frigido eſiccantur, marceſcunt penitus plantæ, & moriuntur. Ex quo redarguitur, in autumno non cadunt penitus folia, vt patet ad ſenſum,

ergo

ergo non marcida, & ſicca, & quia in hyeme cadunt ſo lia, ideò extremè marcida, & ſicca. Quare autumnus ex ſuperabundanti humido ad diminutum calorem ęſtatis, humidus eſt, hyems verò ex ſumpta humiditate, & aucto frigido, frigida & ſicca eſt.

CAP. VIII.

Redarguitur opinio Auicennæ.

AVICENNÆ opinio redarguitur cùm d. hyemē frigidam, & humidam, quia ex toto opponitur æſtati, quæ eſt calida & ſicca, primo hoc eſt falſum, nā ex toto opponi, eſt ſimpliciter, & omni loco, tempore, & omnimodo opponi 1. Elench. cap. proprio, modo æſtas hyemi non ex toto opponitur, cum ambo intemperata ſint. Dices dantur res temperatæ, & intemperatæ ambæ opponuntur ſub vno extremo .s. intemperato, ideò ex toto, & omni modo oppoſita ſunt. Eſt not. quòd Gale. 2. de temper. cap. 1. dicit ver aſſimilari primæ ætati puerili, hyemem vltimæ .s. ſenectuti, vnde poſſunt dici oppoſita, & ver eſt calidum, & humidū, & temperatum, hyems frigida, & ſicca intemperata. dico eſſe ſecundum totum oppoſita, quia omnibus qualitatibus opponuntur, & ſicut temperatum, & intemperatum omnimodo opponuntur. Vltra hyems, & æſtas ſe habent ſicuti iuuentus, & conſiſtentia cum vltima ſenecta, illa enim quia extremè calida, & ſicca eſt ſenectus quia extremè frigida, & ſicca, non tamen opponūtur ſecundum totum, quia non omnibus qualitatibus, ſecundo quia nec vt temperatum, & intemperatū, ambo enim extrema, altera in calido, & altera in frigido.

An æſtas ſit oppoſita hyemi.

Vltra

Vltra ſi Gal. non diceret, ratio ipſa concluderet 1. Phy. 48. & 10. Met. 15. & 16. principium, & finis motus ſunt quæ ex toto extremo opponuntur, quæ vocantur prima contraria forma, & priuatio, & ſimplicia, quia vnam tantum naturam, non compoſitam, quæ verò intermedia, hæc non contraria ſunt ſecundum totum, ſed tantum ſecundum partem, ſecundum quid contraria, quia habent medium inter extrema, & ideò in vna parte ſui opponuntur, in altera aſſimilantur. Et eſt cõſiderandũ quòd tempus de quo loquor non eſt niſi motus Cœli, principaliter ſolis, agens, & menſurans hæc inferiora, quod diuiditur in partes quatuor quæ, habẽt inter ſe ordinem prioris, & poſterioris, & medij. Ex quo inferimus hoc, quem ordinem habent partes motus prædicti, eundem habebunt partes temporis inter ſe. Tertio eſt notandum quod motus ſolis diuiditur in quatuor partes, quæ habent hunc ordinem per reſpectũ ad nos in vere appropinquatur nobis, incipiens generare res ſuo calido, & humido, ſicuti in pueritia, in ſecunda parte graditur, in qua, mediante calore eodem, & humido, auget ad perfectam quantitatẽ res generatas, & eſt tempus ęſtatis in qua ſol graditur aliqualiter ſtãs. Iterum incipit deſcendendo remoueri à nobis, remoto lumine, corrumpitur calor, & incipit frigus, quod fit in autumno, quod frigus augetur ſemper remotione ſolis vſq; ad hyemem. Ex quò inferimus principium, & finem motus, quem inſequitur tempus, & per conſequẽs ipſius temporis eſſe ver, & hyemem, non hyemem, & æſtatem, ſed medium tempus auctionis, vel ſtatus: ex quo claro ad ſenſum manifeſtato, & conceſſo ab omnibus, arguimus contra ipſum ſic, principium & finis motus ex toto opponuntur, non autem medium, & finis

Ver, & hyẽs ſimpliciter contrarij.

ſed

ſed principium eſt ver, finis motus hyems, ergo ex toto opponuntur in vtriſq; qualitatibus, illa frigida, & ſicca, ver verò calidum, & humidum, æſtati verò opponitur vt medio principium, non vt extremo, & oppoſito ſecundum totum, & ideò in vna tantum qualitate .s. calido, & non ſimpliciter. Præterea probatur exemplo, & ratione, hyemem æſtati non eſſe ſimpliciter oppoſitam 1. de accid. & morbo cap. 1. Ariſt. in poſtprædic. cap. proprio d. quod ſanum, & temperatum æquale eſt, & naturale, ægrum verò inæquale, intemperatum, & innaturale: tunc ſic ſanum, & ægrum opponuntur ſecundum totum, extrema .n. ſunt oppoſita ſine medio, quę ſe habent vt naturale, & innaturale, temperatum, ſed hyems, & æſtas non ſunt huiuſmodi, ambo enim ſunt intemperata, vnum in calido, alterum in frigido, meritò ergo non ſunt apud naturam oppoſita, & ideo non ſimpliciter talia, quia ſimpliciter talia ſunt illa, quæ ſecundum naturam talia ſunt, ſed ver cum hyeme ſe habent huiuſmodi, quia opponuntur vt naturale, & innaturale, vt temperatũ, & intemperatum, ergo naturaliter ſimpliciter ſunt ex toto oppoſita. Dices ſimiliter de ęſtate, quia intẽperata eſt in calido. Ad quòd fuit dictum ſupra non eſſe ſimile, quia calidum æſtatis eſt intemperatum naturale, quia ſtat cum eſſe perfecto, & ver licet ſtet cum humido naturali, frigidum verò hyemis innaturale eſt, quia ſtat cum marcedine, & perditione rerum quod eſt innaturale 8. Phy. 88. Vltra inductione ſenſata patet in omnibus rebus, maximè in ſimilibus, vt dicunt medici, temporibus (vt morbi qui accidunt per circuitum ſicut tempora anni) eſſe quatuor partes, principium, augumentum, diminutio, & finis: principium ver, erit aſſimilatum pueritiæ, æſtas eſt tempus au-

ctio-

ctionis vſq; ad ſtatum ſuum, autumnus diminutionis, hyems itaq; finis, & declinatio, tunc ſic quæ totaliter, & magis opponuntur ſunt principium, & finis motus, non tempus augumenti, & diminutionis, & eſt verum in quolibet motu, nam illa ſunt tempora media, quæ ali qualiter opponuntur vt media non vt extrema, clarè ergo patet extrema ſecundum totum oppoſita eſſe ver, & hyemem, non æſtatem, & hyemem. Ex quibus facile ſoluitur ratio negando minorem .s. hyemem æſtati eſſe contrarium ſimpliciter, quia hyems eſt finis, æſtas eſt mediũ motus, & mediũ ſimpliciter extremo non eſt cõtrarium, ſed ſecundum partem 1. Phy.47. tum quia ver eſt principium motus ſolis, & principium opponitur fini ſimpliciter. Cum verò dicunt in æſtate ſolem eſſe in ſuperiri loco zenit capitis noſtri, in hyeme verò in inferiori maxime loco modo maxima oppoſitio in naturalibus ſumitur à loco, & tempus inſequitur motũ, ſi ergo loca ſunt extremè diſtantia, & oppoſita ſimpliciter loca ipſa, ergo tempora etiam ſunt huiuſmodi, & hæc fuit ratio, quæ decepit Auic. & alios. Ad hanc rationem dixi alias clariſſimè quod in Cœlo, & motu cęli, & in tempore quod motum Cœli non ſunt iſta tria principium, medium, & finis ſeparata inter ſe, ſed vnũquodque in eis eſt principium, medium, & finis, vt d. Ariſt. 8. Phy.78. in ſe ſuiq; natura, quia circularia ſunt, per accidens verò reſpectu iſtorum inferiorum, quorum ſunt cauſę inquantum ſunt cauſæ .i. cauſant hæc tria in iſtis prædicta tria habent, iſta inſuper conueniunt corruptibilibus primo Cœli 21. & 22. æterna verò ſicut Cęlum, motus, & tẽpus dicimus habere attributiuè, quia hæc inferiora effectus eorum ſunt, vnde iſtæ differentię conueniunt tempori non per ſe, ſed per accidens attri-

butiuè

butiuè & dicebat Gal. 2. de temp. principium eſt ver aſſimilatum pueritiæ in quo tempore ſol eſt in vna parte circumferentiæ orizontis noſtri, ſecundum oportet eſſe tempus auctionis, & neceſſariò eſt æſtas aſſimilata vt d. iuuentuti, quæ auctio habet vltimum ſui eſſe iunctum æſtati, & vocatur ſtatus auctionis, quia vltimatè eſt, ad quod ſtat auctio, in quo tempore ſol eſt in ſuperiori loco, & zenit capitis noſtri, tertium tempus neceſſarium eſſe diminutionis, aſſimilatum autumnò ante ſenectutem, in quo tempore ſol eſt in oppoſita parte in qua erat in tempore auctionis .s. in æſtate, quia auctio, & diminutio ſunt idem ferè ſubiecto, differunt verò ratione, & terminis, quæ diminutio habet terminum vltimum ſuum, ad quem ſtat, amplius non diminuitur, & eſt maximè inferius ſub pedibus noſtris, maximè oppoſitum ſuperiori loco, quia cauſa auctionis opponitur de directo diminutioni, vltimus eſt finis aſſimilatus ſenectuti extremè; & morti, & eſt hyems in qua ſol eſt in parte circumferentiæ orizontis noſtri, oppoſita alteri particulæ circumferentiali, in qua erat in vere, ex quibus omnibus patet ratio inſolubilis ad rationem ſuam, quia motus ſolis,& tempus quod inſequitur motum habet principium in vere, & finem in hyeme, ergo ſimpliciter oppoſita ſunt, æſtas verò, & autumnus erunt ſicuti tempus auctionis, & diminutionis, quæ ſunt partes mediæ motus, & ideò erunt in medio oppoſitæ, & non ſimpliciter; Patet etiam quod ſuperius, & inferius, in quibus motus ſolis inuenitur in æſtate, & in autumnò non ſunt penitus oppoſita, niſi ſicut termini auctionis, etiam diminutionis, quæ ſunt medio oppoſita, non extremè; quia vt diſtū, extremè oppoſita ſunt partes circumſerentiales noſtri hemiſperij, in quibus inueni-

uenitur ſol in vere,& hyeme. Præterea negandum eſt in hyeme ſolem eſſe in maximè inferiori loco, nam in hoc loco eſt tempore autumni,& probatur, nam ſi maximè ſuperius eſt ſtatus auctionis, ergo maximè inferius eſt ſtatus diminutionis.

C A P. VIIII.
In quo vera, & ſenſata opinio Dilucidatur.

ANTE quam in hoc arduo quæſito veritas eluceſcat, primo præmittenda à nobis ſunt quædam notanda, quę erunt fundamenta, & veluti radices eorum quæ à nobis in hoc quæſito dilucidanda erunt. Et primo not. quòd vario modo ſumitur temporum anni diuiſio apud medicos, apud Aſtrologos, apud Philoſophos: medici enim quia artifices ſunt ſenſuales, tempora anni diſtinguunt per quoſdam effectus naturales nobis ſenſibiles, contingentes, vt tunc eſt ver, quando incipiunt arbores folia erumpere, & pullulare, cum floreſcunt arbores, prata vireſcunt, animalia lætantur, & ad coitum incitantur: Dicunt etiam tunc eſſe hyemem quando arbores defrondeſcunt penitus, niues in montibus congreſcunt,& eo tempore animalia pleraq; in cauernis degentia ſe abſcondunt,& ita ſimiliter à frōdibus arborum dum ſunt in arboribus æſtatem, dum incipiunt cadere,& calorem mutant autumnum. Hanc diuiſionem poſuit Ariſt. lib. de ſecret. ad Alex. cap. proprio. Auicen. primo lib. fen. 2. cap. de temp. aut Aſtrologi verò dicunt, cum tempus non ſit aliud quàm motùs menſura, & maximè ipſius ſolis in circulo zodiaco, ſecundum quod ſol varia ſigna ingreditur, ac percurrit, variam temporum diſtinctionē ſumunt, & dicunt tunc inci-

Diuiſio temporum anni.

Sm̄ Medicos

Sm̄ Aſtrol.

incipere, quando ſol ingreditur ſignum arietis, & durat vſq; ad finem geminorum, quod eſt à 14. Martij, vſq; ad 13. Iunij Eſtatem tunc incipere, cum ſol ingreditur cancrum & durat vſq; ad finem Virginis, & hoc eſt à die 13. Iunij, vſq; ad 13. Septembris. Autumnum cum ſol ingreditur primum gradum Libræ, & tranſiens per Scorpionem, & Sagittarium vſque ad finem ipſius, & conficitur autumnus, & eſt à 13. Septembris vſque ad 12. Decembris, & in hoc tempore eſt ſecundum æquinotium. Hyems tunc incipit quando ſol ingreditur Capricornum, & vſque ad finem Piſcis perueniens hyemẽ inducit à 12. Decemb. ad 14. Martij, ſic itaq; tota reſolutio ſolis in zodiaco per varia ſigna percurrens, annum cauſat, duodecim in ſe continet menſes, in quibus anni quatuor tempora in ſe diſtincta continentur, hanc diuiſionem ponit Ariſt. loco citato. Alia diuiſio magis ſenſibiliter ſumitur penes ortum, & occaſum quarundam ſtellarum fixarum nobis apparentium, ſecundum quod ſol variè ipſis coniungitur, variè in aere nos circundante, cauſantur alterationes, vt ſunt pleiades &c. & quoniam hæc diuiſio eſt magis ſenſibilis, penes ipſam volumus quatuor anni tempora diſtingui. Pro qua eſt notan. quòd licet annus ſecundum antiquos in duas tantum partes fuerit diuiſus ſecundum duo tantũ ſolſtitia, à poſterioribus tamen recentioribus, in ſeptem partes fuit aſſignata diuiſio, in quibus quatuor anni tempora continentur. Ver incipit ab æquinoctio verno, & perſeuerat vſq; ad ortum vergiliarum, ſeu pleiadum ſtellarum, ergo incipit ab 11. vel 12. die Martij circiter, & durat vſq; ad principium Maij circiter, & quia erat breue tempus, vlterius non fuit diuiſum. Poſt ortum pleiadum incipit æſtas, vſque ad ortum arturij, qui fit in prin-

Alia diuiſio.

principio Menſis Septembris, autumnus autem oritur per duodecim dies ante æquinoctium, quod fit circa medietatem Septembris, vt æſtas contineat quatuor integros menſes circiter. Et quia hoc tempus erat longius, ideò fuit ab antiquis diuiſum, prima dicitur ora, in qua maturantur fructus, præcotia dicta, vel perſica, à medicis dicta fructus orarij, quia tempeſtiuè maturantur quod eſt ante ſolſtitium æſtiuum, & hoc totum ſpatiū, in quo maturantur fructus orarij eſt à principio Maij, vſq; ad ſolſtitium æſtiuum, quod fit circa vndecimum vel duodecimū diem Iunij. Secunda æſtatis pars, eſt à ſolſtitio æſtiuo, vſq; ad principium autumni .i. ad ortū arturi, quò tempore maturantur fructus non ita fugaces, ſed magis durabiles, & hæc pars dicitur opora, ſeu poſtora; ſuccedit autumnus, qui incipit ab ortu arthurij, vſq; ad occaſum vergiliarum, quandq ſol ingreditur prima puncta Sagittarij circa octauum, vel 9. diem Nouembris, autumnus igitur habet ferè duos integros Mēſes, Septembrem ferè totum, ac totum Octobrem, & principium Nouembris, quod computatur pro principio Septembris, & non amplius diuiditur. Hyems incipit à principio Nouembris poſt occaſum pleiadum, & durat vſque ad æquinoctium in principio Martij, ergo hyems continet pluſquam quatuor menſes, & ideo in tres partes diuiſerunt. Et primam partem ſementum appellant quo tempore ſeminabant, ſecundum tempus brumale, quando maximè viget frigus, & nix, altera pars à græcis dicitur pytalia, & eſt tempus inſerendi, & in hoc tempore arbores inſeruntur, & plantantur, prima incipit ab occaſu Vergiliarum, & durat vſque ad ſolſtitium brumale, bruma incipit à ſolſtitio brumali vſq; ad occaſum, tertia pars du-

Æſtas diuiſa 2. partes.

Hyēs diuiſa 3. partes.

rat vſq; ad principium veris ad æquinoctium vernum ad principium Martij. Vnde autem hæc diuiſionum diuerſitas proueniat. Eſt not. quod Philoſophi rerum naturas contemplantes, de tempore conſiderant, & de eius partibus vt motus eſt, menſura corporũ Cœleſtiũ, & maximè ſolis in circulo zodiaco, & quoniam tempus aut eſt motus aut paſſio motus 4. Phy. 1 1 o. & quia conſiderans de toto, debet etiam conſiderare de eius partibus, conſiderant itaq; quatuor anni tempora, pro vt ſunt quatuor partes motus ſolis in zodiaco, & pro vt ſol in ipſis temporibus variè nobis appropinquatur, vel recedit. Aſtrologi verò conſiderant tempus, & anni tempora prout cauſantur à corporibus Cœleſtibus, & maximè à ſole prout varia ſigna percurrit, & variis ſtellis fixis coniungitur, vel vt corpora Cœleſtia per motũ continuum variè ſituantur, & in nos, & in hæc inferiora variè, influunt, medici verò alio modo de quatuor anni temporibus conſiderant, quia ſecundum temporum varias mutationes, & varias anni partes, aer variè in ipſis temporibus diuerſis diſponitur, & alteratur, ex qua varia aeris alteratione corpora humana, & alia animalia variè diſponuntur ad ſuſcipiendam ſanitatem, vel ægritudinem vt Ariſt. prima par. probl. 3. temporum mutationes potiſſimum arguunt morbos, & immoderatis temporibus, immoderatæ fiunt ægritudines, temporum quidem mutationes hoc caſu intelliguntur alterationes, ex quibus aeris alterationibus, ex diuerſis temporibus cauſatis, varia animalia ad ſanitatem, vel ægritudinem diſponuntur, præterea conſideratio de rebus non naturalibus corpus noſtrum alterantibus pertinet ad medicos, ſed aer inter non naturales eſt de maximè alterantibus, ergo de ipſo Medici conſiderant, vt corpora

Cauſa diuerſitatis diuiſionũ temporum anni.

pora ab ipſo variè alterantur, ergo Medici conſiderare debent omnes cauſas aerem alterantes, inter quas præcipuè ſunt anni tempora. Vnde in libro de locis aeris, & aquæ præcepit medicum in aſſignando cauſas ægritudinis, non debere pertranſire Cœlum ideſt aerem; nam citra aerem medicus ægritudinis cauſam non conſiderat, tunc enim traſcenderet artes de genere ingenus, quod eſt contra Ariſt. primo poſt. Dices ex Hipp. auctoritate d. lib. de locis aer. & aq. cap. 1. aſtrologiam plurimum conferre ad artem medicam. Dicendum eſt quod confert ad ſciendum motum ſiderum, & aſtrorum ad quorum motum varium, aer variè diſponitur, & ſic à medico fore conſideranda, non inquantum aſtra aliquid noſtris corporibus inferant præter motum, & lumen, vt Aſtrologi tenent. Vel dicendum antiquos non feciſſe differentiam inter aſtronomiam, & Phyloſophiam, & ratio poterit ſic aſſignari, vt d. Auer. 12. Meth. 44. inter ſcientias Mathematicas ſola Aſtrologia cõſiderat de ſubſtantia, aliæ verò omnes conſiderant de accidentibus, cum ergo Aſtrologia conſideret ſubſtantiam Cœli mobilem ad talem, & talem ſitum, quia cõſiderare de ſubſtãtia vt mobilis videtur quod pertineat ad naturalem Philoſophum, ideò nullam faciebant differentiam inter ipſas, & quia philoſophia eſt neceſſaria Medico Methodico ſecundum Ariſtot. lib. de ſens. & ſens. quòd vbi definit Philoſophus, ibi incipit Medicus. Quamobrem tempora anni à Medicis conſiderantur, vt ex eis variè cauſantur alterationes in aere, quo alterato, variè ab ipſo corpora diſponuntur. Hoc etiam confirmat Auer. 2. collig. cap. vltimo d. anhelitus neceſſariò eſt operatio animalis, & neceſſariò aere indiget. ſubdit etiam Auer. horum quatuor corporũ mutationes,

Quō Aſtrol. conferat ad artē medic.

&

& temperamenta varia, varias cauſare in corporibus alterationes, ex quibus variȩ cauſantur ægritudines. Secundo eſt notandum quòd lumine mediante, & motu in nobis cauſator calor, in ſolis appropinquatione, & remotione cauſatur frigus, quoniam ſolo motu, & lumine ſuperiora agunt, non autem influentia, ſolis verò lumen poteſt dupliciter influi, vel centraliter .i. à centro ſuperiori per angulos rectos nos reſpiciens, ideò fortius tunc cauſat calorem in nos, & hoc modo nos reſpiciens æſtatem cauſat perſe calidam, & ſiccam, ſecundo modo poteſt influere in nos radios luminoſos à circumferentia, reflexione diſperſa, & rare facta, debilius tunc agens calorem in nos, & tunc cauſat hyemem frigidam perſe, vel ver, & autumnum, vt variè nobis appropinquatur, vel à nobis recedit, & quia tempus vt dictum eſt non cauſatur niſi propter motum Cœli, & principaliter ſolis agentis, & menſurantis hæc inferiora, ideò diuiditur in quatuor partes, vt ſe habent motus inter ſe, & vt ſolis motus diuiditur in quatuor partes, quæ habent hunc ordinem per reſpectum ad nos vt .s. appropinquatur, vel recedit: in vere appropinquatur nobis, & tunc incipit res generare ſuo lumine calido, & humido, ſicut in pueritia contingit, in qua in principio ſui ortus calido, & humido fit generatio, in ſecunda parte graditur ſol magis ad nos appropinquans, & ſecundum radios rectos nos reſpiciens, eodem lumine, & motu auget ad perfectam quantitatem res generatas, & cauſatur nobis æſtas perſe calida, & ſicca, iterum incipit diſcedendo in circumferentia elongari à nobis, remoto lumine, & calore, incipit generari frigus, quod fit in autumno, & ſemper augetur per remotionem ſolis, donec vltimo diſtet à nobis, & hyemem cauſet. Iterum rediens

Sol motu & lumine quomoda agat in hæc infer.

diens vnde incepit appropinquando nobis, incipit res generare, & calefacere, quod fit in vere, & ſic quatuor cauſantur tẽpora anni, vt æſtas, autũnus hyems, & ver.

Eſtas, & hyẽs nõ ſunt ſimpliciter oppoſita.

Tertio eſt not. quòd cum loquimur de temporibus anni, & maximè de æſtate, & hyeme, ſit hoc ſuppoſitũ; ipſa non eſſe extremè ſimpliciter oppoſita, vt falſo credit Auic. quod probatur ſupponendo quod ex toto opponi, & ſimpliciter eſt in omni loco, in omni tempore, & reſpectu omnium ſubiectorum 1. Elench. cap. proprio, ſed æſtas, & hyems non opponuntur vt temperatum, & intemperatum, nam ambo intemperata ſunt, vnum in calido, alterum in frigido, ideò Galc. 2. de tẽp. d. ver aſſimilari primæ ætati puerili, quæ calido, & humido floret, hyemem vltimæ .s. ſenectuti, & iſta eſſe oppoſita ex toto in ambabus qualitatibus alterum in calido, & humido, alterum in frigido, & ſicco, & hyems, & æſtas ſe habent ſicuti iuuentus, & conſiſtentia cum vltima .s. ſenectute, illa enim quia extremè calida, & ſicca eſt, ſenectus verò, quia frigida, & ſicca, ideo non opponuntur ſecundum totum, quia non in omnibus qualitatibus, & opponuntur ſicut intemperatur, & temperatum, vnum in calido, alterum in frigido, ver autem, & hyems opponuntur ſicut temperatum, & intemperatũ. Cuius ratio datur ex 2. Phy. 48. & 10. Met. 15. principium, & finis motus ſunt quæ ex toto opponuntur extremo, quæ vocantur prima contraria .s. forma, & priuatio, illa verò quæ ſunt intermedia non ſunt contraria ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quia habent medium inter extrema compoſitum, ex extremis, ex quo inferimus principium, & finem motus quem inſequitur tempus eſſe ver, & hyemem, non hyemem, & æſtatem, nã æſtas, & autumnus media tempora ſunt, non extrema,

Ver eſt principiũ motus finis hyems, ideò oppoſita ſimpliciter.

tunc

tunc ſic; principium & finis motus ex toto opponuntur, ſed principium motus eſt ver, finis motus ſolis eſt hyems, ergo ex toto opponũtur in vtriſq; qualitatibus, æſtati autem quia media, opponitur in vna tantum qualitate. Præterea naturale, & innaturale, temperatum, & intemperatum ex toto ſimpliciter oppoſita ſunt, ſed hyems, & æſtas non ſunt huiuſmodi, quia ambo innaturalia, ambo intemperata, ver autem, & hyems ſe habẽt ſicuti temperatum, & intemperatum naturale, & innaturale, ergo ex toto oppoſita ſunt, vt extrema, & ſimpliciter. Præterea tempora anni ſe habent ſicuti tempora morbi, in hoc quia datur principium, augumentum, ſtatus, & declinatio, tunc ſic, quæ totaliter, & ſimpliciter opponũtur ſunt principium, & finis motus, non augumentum, & diminutio motus, quæ verò intermedia non extremè opponuntur.

Quarto eſt not. quòd nos loquentes de temperamẽtis temporum anni, dupliciter intelligi poteſt, vel de per ſe proprio temperamento in ſuo eſſe naturali conſiſtente, & non per accidens, & ſic dicemus hyemem per ſe frigidam, & ſiccam, vt ad ſenſum palam probabimus, alio modo de temperamento per accidens, & per aliud extrinſecum contingens, & non per ſe, & hoc modo, dicemus hyemem frigidam, & humidam, in hyeme,.n. generatur pituita, quia homines illo tempore lactucas, & herbas comedunt magis, ex quibus pituita generatur, & propter veſtium inopiam pauperes infrigidantur in hyeme, & pituitam generant, tertio quia plurimo cibo, & potu vtuntur in hyeme, propter pluuias, & longitudinem noctium, & propter alias cauſas ſupra dictas, quæ ſunt per accidens, & non per ſe, & ideò hyemis tẽperamentum per accidens erit humidum, artifex autem

debet docere res ſecundum ſui naturam, & non per accidens, quod ſophiſticam ſcientiam generat, ex præcepto Ariſt. 2. Cœli 108. & Gale. 2. de temper. ſibi contra dicens, eodem fundamento reſpondet contra antiquos aſſerentes ſenectutem eſſe frigidam, & humidam, & probant hoc, quia ſenes pituitam ſpuunt, cum vomunt non niſi pituitam vomunt, ſimiliter cum nares expurgant. Reſpond. Gale. ibi ſenectutem per accidens eſſe humidam, quia ſenes caloris imbecillitate ſuperfluitates humidas generant, & vt ſuperfluas expurgant, per ſe autem ratione eorum, proprio temperamento ſenectutem d. eſſe frigidã, & ſiccam, & hoc laudat Ariſt. lib. de long. & breu. vitæ dicens ſenectutem ſtirpi marceſcenti aſſimilari, ire enim ad ſenectutem eſt continuò eſiccari humidum naturale, vnde membra remaneat ſicca, & arida ſuo proprio priuata alimento, & ſic diminuuntur ſenes corpore, & marceſcunt, & tandem moriuntur omnino humido exiccato mors enim ex toto vitæ opponitur, quæ ſtat cum calido, & humido. Præterea dicimus ex omnibus cauſis per accidens enumeratis ab Hippo. & Gal. loco allegato non magis generari pituitam in hyeme, quam aliis temporibus, imò magis æſtate, quia homines tunc plurimo potu, & frigido vtũtur, pluribus herbis frigidis, fructibus humidis ſua natura, & propter ambientis aeris caliditatem in æſtate calor naturalis ad exteriora diffunditur, & diſpergitur, & ideò magis debilitatur & quia phlegma non generatur, niſi ex debili calore, hoc autem contingit magis in æſtate ex cauſa prædicta, ergo magis in æſtate pituita, in hyeme autem propter ambientis aeris frigiditatẽ, quia calor magis vnitur, & fortificatur, quò magis vigorato, minus de pituita generabitur, tunc autem in hyeme magis

gis

gis pituita generatur, quando homines magis ſe ingurgitantes cibo replent, & tunc per accidens & non per ſe generabitur, ſed ſi intelligamus homines proportionato cibo repleri, tunc non generabitur, quia ſecundum Hippo. prima part. Aph. 15. ventres hyeme, & vere calidiſſimi ſunt natura, & proinde illo tempore plurimo animalia indigent alimento. Et omne agens naturale agit circa obiectum proportionatum, cùm ergo in hyeme calor naturalis magis viget, ideò plurimo alimento indigent, & calor naturalis cum ſit fortior, omnes ſuperfluitates digerit..

Quinto eſt not. quòd nos de quatuor anni temporibus loquentes, ſigillatim de vnoquoq; poteſt intelligi dupliciter, vno modo de quolibet tempore in ſe abſolutè quò ad ſuam naturam, & non relatiuè, pro vt alteri tempori anni ſibi oppoſito comparatur, alio modo conſideratur quælibet pars anni relatiuè prout alteri parti, & tempori ſibi oppoſito comparatur. Nos primo modo intelligendum volumus cùm loquimur de temperamento ſigillatim vniuſcuiuſq; anni temporũ .s. abſolutè in ſua natura, & non ad aliud. Et hoc fundamento Gal. 1. de temp. cap. 4. reprehendit antiquos, qui perſcrutantes de veris temperamento, ac natura, ipſum calidum, & humidum pronuntiauerunt in comparatione ad alia tempora anni, & non in ſe abſolutè in ſua natura. Gal. ipſos obiurgat, & ſupponit artificem de natura alicuius rei docentem, debere docere de natura rei perſe abſolute, & non per accidens, vt ad aliud comparatur ſed dubitares, ergo non eſt loquendum de tēperamentis quatuor temporum per relationem ad corpora, vt ab ipſis alterabilia, patet, quia hæc conſideratio non videtur quod ſit abſolutè de quatuor temporibus anni *Dub.*

Sol. in ſe, eo pacto quo Gal. dixit debere conſiderari. Dicendum quòd nos volumus loqui de quatuor anni temperamentis, prout ab ipſis variè corpora noſtra diſponuntur ad ſanitatem, vel ægritudinem, nam licet hæc noſtra conſideratio de quatuor &c. ſit comparatiua, tamen eſt conſideratio medica, & ad artem propriam pertinens. Antiqui autem de veris natura loquentes dixerunt ipſum eſſe calidum, & humidum incomparatione ad alia tempora anni, & ideò per accidens, & quod ita ſit d. Gal. ſi ipſi locuti fuiſſent de veris natura per ſe, in in ſua natura, ipſum non calidum, & humidum, ſed tẽperatum dixiſſent, modò dicere ver eſſe temperatum in ſui natura, & ipſum non conſiderare prout reſpicit corpus, vt ſanabile, vel ægrotabile, eſt eſcludere omnino ipſum, & quodlibet tempus anni à conſideratione propria medicæ artis vt dixit Auer. 2. collig. cap. vlt.

CAP. X.

Vera opinio declaratur per Concluſiones.

ISTIS ſic ſtantibus ponuntur à nobis plures concluſiones veram opinionem in hoc quæſito declarantes. Et prima ſit iſta de æſtate tanquam de re clariori.
1. Concluſio. Æſtas in ſuo naturali, per ſe, abſolutè, & proprio temperamento eſt calida, & ſicca, & quia in hac concluſione omnes conueniunt, ideò de ea non diſputo. Secun
2 da eſt. Hyems in ſuo naturali, per ſe, & abſoluto temperamento proprio, etiam ſecuudum Ariſt. & frig. & ſicca. Et quia in hac concluſione veritate coactus diſſentio ab omnibus, ideò circa ipſam multum immora-
3 bor. Tertia autumnus in ſuo proprio temperamento

perſe, naturali, & abſoluto eſt frigidus, & humidus, per accidens autem frigidus, ſiccus, quam concluſionem eſſe veram contrà aliter ſentientes veritate ſenſata manifeſtabo. Quarta ver in ſui temperamento non perſe in ſui naturam, ſed per aliud & relatiuè ad alia tempora anni comparatum eſt calidum, & humidum, perſe autem in ſuo proprio temperamento, reſpectù corporum ab ipſo alterabilium eſt temperatum, non excedens in calido, & frigido, nec in calido, & humido.

Probatur ſecunda, & tertia concluſio, quia in his eſt difficultas, & quod etiam ſint ad mentem Ariſt. qui in prima par. probl. 3. d. tempora anni, ætates, loca, ventos, in qualitatum proportione ſeinuicem conferri, tūc ſic, 2. de gen. 16. elementa ſic ſe habent, extrema eorum duo, vnum calidum, & ſiccum, ignis in ſuperiori loco, alterum frigidum, & ſiccum terra in inferiori loco, media vero aer, & aqua, aer calidus, & humidus, aqua frigida, & humida, elementis autem comparātur tempora anni, igni .s. æſtas, ideò calida, & ſicca, terræ hyēs, ideò frigida, & ſicca, aeri ver calidum, & humidum, aquæ autumnus frigidus, & humidus. Et vltima proportio quam ipſe concedit, probatur ratione ſumpta à ſimili, ſicut terra, & ignis extrema opponuntur in qualitatibus .s. calido, & frigido, ita hyems, & æſtas ſe habebunt. Quòd autem conferantur elementis in complexione vltima, ratione etiam probatur, poſteriora nō abſoluuntur à ſuis prioribus, à quibus eſſentialiter dependent, ſed è contra, ſed tempora anni in ſuis temperamentis poſteriora ſunt, quia eorum temperamenta cauſata fuerunt à temperamento elementorum, ergo vt elementa ſe habent in complexione, ita ſe habebunt tempora anni. Secundo conceſſit Ariſt. tempora pro-

portionem habere cum ætatibus ſed 4. Meteor. 3. lib. de long. & breuit. vitæ d. ſenectus eſt frigida, & ſicca, idem d. Gale. 2. de temp. cap. 2. ergo hyems ſenectuti aſſimilata erit frigid. & ſicc. Ver vero calidum, & humidum ſicut pueritia, æſtas calida, & humida ſicut iuuentus, autumnus frig. & humid. ſicut conſiſtentia. Præterea 4. Meteor. 3. & 8. d. modum, quò res naturales generantur differre à modo quò corrumpũtur, quia oppoſitorum oppoſiti ſunt effectus, ſed modus generationis hoc modo fit incipit ab extremo humido imperfecfecto non naturali, quia non eſt aptum ad opus naturæ perficiendum, oppoſito modo fit corruptio, diminuto calore, vincit humidum indigeſtum à calore, & res manet humida, & putreſcit, donec omnino diminuto calore, & aucto frigido, continuo euaporando res fiunt ſiccæ, & tandem vltimo marceſcunt, vnde res primo putreſcunt humido, ſicco verò marceſcunt. Gal. hoc idem conceſſit 2. de temp. cap. 2. pueritia in principio ſui ortus incipit ab extremo humido, ad opus ineptum, & demum aucto calore, diminuitur humidũ, donec reducatur ad temperatũ naturale, ad opus auctũ, & hoc in iuuentute; & ſtatu, tertio diminuto calore non digeſto, & determinato humido, ab eo vincitur humidum, & res fit humida, vt in ætate ante ſenectutem, demum diminuto calore, & aucto extremo frigido, humido reſoluto, marceſcit homo, & ſiccus fit in vltima ſenectute; vt ergo ſe habet in ætatibus idem modus ſe habet in temporibus, primo in vere aſſimilato pueritiæ res maximè humide fiunt, patet, quia ſi incidantur plãte, ex eis exit humidum, & demum aucto calore, diminuitur extremè humidum, & reducitur ad temperatum naturale, ad opus perficiendum idoneum, & arbores ad pro-

producendum fructus idonei redduntur in ęſtate, tertio diminuto calore in autumno, quia ſol elongatur à nobis, & ſequitur exceſſus humidi, vltimo extra naturam, diminuto calore omnino, & ſole elongato à nobis, & aucto extremo frigido, ſiccitas tandē acquiritur in hyeme, qua ratione demōſtratiuè ſequitur autumnum per ſe frigidum, & humidum, hyemem verò per ſe frigidā, & ſiccam, quantum temporum natura patitur. Quomodo autem differat humiditas veris, ab humiditate autumni ſupra dixi, quia altera naturalis, altera contra naturam. Vltimo dicebat Ariſt. tempora conferri locis, ſed ad ſenſum videmus loca ſic ſe habere, extremè calidam, & ſiccam eſſe Æthiopiam, extremè frigidam, & ſiccam Septentrionalem, quæ ſemper cum glatie, media loca ſtant cùm humido, ita in temporibus eſt dicendum, extremè calidam, & ſiccam æſtatem, frigidam, & ſiccam hyemem, media verò tempora, vt ver, & autūnum humidum. Præterea Ariſt. 1. par. probl. 19. quęrit quare hyeme auſtrina, & humida, & vere ſicco fiunt morbi? inter alia dicit quia tempora ſuam naturam nō ſeruant, nam hyems cum ſua natura ſit ſicca, cum autem ſit humida, & auſtrina, & extra naturam ſuam, tūc cauſantur ægritudines, & in hoc ipſe videtur ſibi manifeſtè contradicere, quare ſi humiditas eſt hyemi præter naturam, ergo ſiccitas erit ſibi ſecundum naturam, quia ſi vnum contrarium eſt innaturale, alterum erit naturale. In eodem probl. 19. d. ver. boreale propter frigiditatem, & ſiccitatem ſuam, coagulat, indurat humidum, cum ergo hyems frigidiſſima ſit ſua natura potius ſua frigiditate coagulat, indurat humidum, & per viam expreſſionis cum ea magis ſiccum, quàm humidum aſſociat. Et probl. 20. d. in hyeme denſitate facta à frigido

Quō tēpora locis confer.

Loci Ariſt. 1

2

3

ex-

extrinſecus adueniente, & occurrente, humidum intra corpus contrahi, & condeſari cũ calore agente fortius, & ideò in hyeme minus ægrotant homines, modo humidum contractum, denſatum deſiccatur, vt ad ſenſum patet de aqua congelata à frigore in hyeme, ſi ergo effe ctus hyemis eſt coagulare humidum, ergo hyems erit frigida, & ſicca. Secundo d. in hyeme magis pati à calore humidum, modo quanto humidum magis patitur à calore, magis eſiccatur, ergo ſi ſuus effectus eſt eſicca
4 re, ſua natura ſicca erit. Et in 1. par. probl. 17. quęrit quare laborantes longa ægritudine tempore ampleiade ad zephirum moriuntur, in dando primam ſolutionem d. hyemem ſuperabundare in frigido, & humido. In dando ſecundum, ſumit duo fundamenta, & d. oppoſitum, primum eſt laborantes longo morbo eſſe ſicuti ſenes, qui ambo frigidi, & ſicci ſunt differunt ſolum in hoc, quia alteri natura, alteri morbo ſunt tales. Secundum eſt hyemem frigido & ſicco ſuperabundare, & probat à ſigno, nàm glaties congelatur in ea. Ex quo calore patet quòd dicit duo primo hyemẽ eſſe humidiſſimam, ſecundo paulo inferius eſſe ſiciſſimam. Et hoc eſt verum, quia in probl. 20. dat ſignum cum eo tempore res congelantur à ſicco, & vt dixit 4. Meteor. & Gale. 2. de temper. cum extremo frigido non ſtat humidum, quod à frigiditate exprimitur, & congelatur, ſed ſiccum, ideò concludendum ſecundum Ariſt. hyemem eſſe frigidam, & ſiccam, autumnum verò frigidi, & humid. Quòd hoc ſit verum confirmat Gal. in lib. de aere, & aqua cap. 6. vbi docens ſalubritatem anni futurã ſit ait. Si enim ſecundum rationem fiant ſigna in aſtris occidentalibus, & orientalibus, & ſubdit etiam in autumno, & hyems ſit temperata, neq; valde clemens,

neq;

neq; excedens in frigiditate, & in vere, ac in æſtate tem peſtiuè pluat, ſic ſanè ſaluberrimum eſſe annum, inde etiam clarè patet pluuias debere fieri in vere, & in autumno, quòd confirmauit Ariſt. 1. Mete. cap. 13. vbi dicit etiam in vere, & in fine autumni debere fieri pluuias, vnde cum pluuia non fiat in hyeme, non eſt aſſerenda humida. Et textus antiquus Hipp. habet (& tẽpus ſerenum) loco illorum verborum vbi nona tranſlatio habet (neq; valde clemens neq; valde excellens frigiditate) & textus antiquus eſt magis clarus, nam ſerenum in aere dicitur ſine humido pluuiali, vel vaporoſo, & ſtat cum frigido, & ſicco ſuo proprio temperamento hyemis. Licet poſſit dici humida per accidens, & per cauſas extrinſecas, & ab humido ipſius autumni. Hic poſſet dubitari conſiderando verba Hippo. loco allega- *Dub.*
to, nam ipſe ſubiunxit conſtitutionẽ innaturalem fieri in hyeme boreali frigida, & ſicca; modo ſi conſtitutio frigida, & ſicca eſt innaturalis hyemi, ergo contrarium huius erit ſibi naturale per regulam Ariſt. 1. Cœli. Reſpondeo concedendo de ſiccitate pluſquam opportunũ *Sol.*
ſic naturæ propriæ hyemis, & circa quã natura propria hyemis exigat, nam ſi conſtitutio borealis in hyeme eſſet in exceſſu frigida, & ſicca, eſſet ei prçter naturam, & tunc eſſet cauſa multarum ægritudinum vt conceſſit Ariſt. probl. 17. allegato ſupra. Id ergo intelligitur ſi fuerit ſicca præterquam naturæ ſuę conueniat. Iterum dubitabis quòd Ariſt. in lib. de ſecret. ad Alex. claro ſi- *Dub.*
gno probat autumnum eſſe frigidum, & ſiccum, quia cadunt pęnitus folia, & caſus foliorum prouenit ab humido ſuperabundante. Probat ſecundo ſigno, quia vir tutes omnes corporis noſtri debiliores, & infirmiores redduntur in hyeme. Dico primum ſignum manifeſtè *Sol.*

H eſſe

eſſe falſum, nam vt dictum eſt 4. Meteor. 6. res naturales prius ex ſuperabundanti humido, & victo calore putreſcunt, & euaporante humido victo calore, & aucto in hyeme frigido, deſiccantur res, & marceſcunt pœnitus plantæ, ex quo argutum fuit contra ipſum, in autũno non cadunt pœnitus folia, ſed incipiunt cadere, & mutare calorem tantum, ergo autumnus non frigidus, & ſiccus, ſed in hyeme pęnitus cadunt folia arborum, & plantarum, & non cadunt, niſi deſiccato humido, ex ſumma ſiccitate in hyeme; & ad ſenſum patet, quod plantę & arbores ſi incidantur in hyeme ſine humido, quinimò ſiccę reperientur. Quare hyems ipſa frigida, & ſicca pęnitus id manifeſtè patet ad ſenſum de pilis cadentibus ante ſenectam, pili enim in ſenecta ab humido ſuperabundante incipiunt colorem mutare, & albeſcunt ex putredine humidi indigeſti, quod in illa ætate ſuperabundat, ſicuti in autumno arborum folia, & demum ſiccitate aucta in extrema ſenecta cadunt pili, ita in hyeme cadunt omnino folia fęminę inſuper non fiũt caluę propter humidum quod in eis ſuperabundat, ergò caluitiæs, & caſus foliorum prouenit à ſicco. Secundum ſignum eſt etiã falſum, & contra ipſummet Ariſt. in 2. par. probl. 33. vbi dicit in hyeme propter frigus extrinſecum calor naturalis intus magis vnitur, & per conſequens magis fortificatur, cum virtus vnita ſit fortior diſperſa, contrarium accidit in æſtate propter aeris ambientis caliditatem, calor naturus tunc diſpergitur, & perconſequens tunc debilitatur, ſolumodo ſerpentũ & vrſarum calor in maximo frigore extinguitur, & inepti redduntur ad actiones eorum, calore natiuo pauco ab aeris frigiditate extrema deuicto, ſed in aliis animalibus omnes virtutes tam naturals, quam animales, in

hyeme ſunt viuaciores, & fortiores. Quapropter quia iſta ſigna ſunt falſa, & multa alia falſa ſunt in d. libello ſecretorum non intelligo ipſum eſſe germanum Ariſt.

Quarta concluſio fuit de vere, quòd ſi ad alia tempo anni compararetur eſt calidum, & humidum, quæ ſic probari poteſt ex Ariſt. 1. part. probl. 3. vbi d. elementa anni tempora, ventos, regiones in qualitatum proportione ſe inuicem ſequi. Et eſt ratio, quoniam poſteriora non poſſunt abſolui à ſuis prioribus, à quibus, eſſentialiter dependent, patet in poſt prædicam. ſed tẽpora anni poſteriora ſunt elementis, ergo eo modo quò diſponuntur elementa in ſuis qualitatibus, eo modo diſponetur anni tempora. Sed elementa ita ſe habent in qualitatibus actiuis, & paſſiuis, ignis calidus, & ſiccus, & ei aſſimilatur eſtas, aqua frigida, & humida, & ei aſſimilatur autumnus, terra frigida, & ſicca, & ei aſſimilatur hyems, aer calidus & humidus, & ei aſſimilatur ver. & ſicut in elementis non eſt ponendum aliquod temperatum, & dato quod eſſet, illud eſſet aer, ita de vere eſt dicendum, & ſigno manifeſto probari poteſt, nã Ariſt. lib. de long. & breu. vitæ d. vitę generatio eſt in calido, & humido, tunc ſic, illud tempus eſt calidum, & humidum in quo fit generatio, ſed in vere eſt hoc, quia animalia maximè incitantur ad coitum, & ita ad generationem, ad ſenſum etiam patet, herbas, arbores in vere pullulare, vireſcere, frondesq; erumpere, quod contingit calido, & humido tunc dominãte, ſol .n. tunc incipit nobis appropinquari, animalia tunc maximè gaudent, pueri ſuas actiones melius agunt, quam aliis temporibus, vt Hippocr. 3. part. Apho. 18. & vt dictum ver aſſimilatur pueritiæ, quæ calida, & humida. Item dixit Ariſt. 4. par. probl. 31. ver complexionis calidæ,

4 Concl. de veris temp.

Tẽpora anni ſunt poſteriora elemẽ.

& humidæ. Idem in lib. de ſecret. ad Alex. & Hipp. 1. de natura hum. cap. 2. & poteſt rõne probari. 2. Cœli 18. ſi vnũ contrariũ eſt in natura, alterũ debet etiã eſſe, cũ ipſa diuidantur ſecundum oppoſitas differentias ſed frigid. & ſicc. eſt in natura, vel ſit hyẽs vt nos diximus, vel autumnus, vt comuniter omnes, ergo debet dari calidum, & humidum, quod non poteſt eſſe niſi ver. Amplius tempus quò ſudor abundat eſt calidum, & humidum, cum ſudor cauſetur à caliditate, & humiditate, vt 3. par. Aph. 6. Hipp. & vt idem, d. quando fuerit veri, ſimilis ſudores expectare oportet. Et illud tempus in quò maximè viget ſanguis eſt calidum, & humidum, quia humores in quolibet tempore proprio generãtur, & augentur, ſed hoc eſt maximè in vere, propter conuenientiam in calido, & humido, quam habet cum ſanguine.

Antiq. opinio de vere. Huius opinionis fuerunt quidam antiqui Medici, vt d. Gale. 1. de temper. cap. 3. qui dixere ver ſi ad alia tempora anni comparatur eſſe calidum, & humidum, & cum hoc conceſſerunt etiam eſſe temperatum, primum probat ratione ætatum, vt dictum eſt abunde. Et quia confirmabant ex Ariſt. inferebant alterum in lib. de long. & breu. vitæ dicebat vitam permanere in calido, & humido, mortem frigido, & ſicco, tunc ſic illa complexio eſt temperatior, quæ maximè vitæ humanæ eſt ſimilior, cum qua maximè ſtat vita, ſed complexio calida, & humida eſt huiuſmodi, vt probatum, cui ver aſſimilatur, ideò calidum, & humidum & temperatius eſt. *Reiectio per Gale.* Contra hos inſurgit Gale. 1. de temper. cap. 4. dicens antiquos errare per hoc quia conabantur quartam coniugationem quatuor anni temporibus adaptare. Et ſi ver erit calidum, & humidum reſpectu æſta-

æſtatis, & calidum reſpectu hyemis, & frigidius reſpectu æſtatis, ergo ver erit ſimul calidum, & humidum, frigidum,& ſiccum,ita habebit in ſe quatuor qualitates contrarias. Et ſi tu dicas ver eſſe calidum, & humidũ in comparatione tãtum ad duo tempora anni, & ex his duas tantum qualitates ſibi ſortiri, & vendicare .s. calidum, & humidum, obiicit Gale. s. quod prohibet alias differentias duas .s. frigidum, & ſiccum ſibi vendicare. Et ſimiliter poſſet dici de autumno, cum ipſe ſit calidior reſpectu hyemis,& humidior reſpectu æſtatis,ergo autumnus ſimul calidus, & humidus, ſi ad tempora anni comparatur. Præterea ſi ver eſſet calidum, & humidum, ergo non eſſet ſaluberrimum, & minimè morbis mortiferis obnoxium, antecedens probatur à Gale. 1. 3. & 6. lib. Epi. conſtitutionem aeris calidam,humidã, maximos morbos epidemiales cauſare, ver autem eſt ſaluberrimum, vlt. ſupponit Gale. artificem loquentem de natura alicuius rei, debere docere eius naturam per ſe, & non per accidens, quia aliter per accidens, & non per ſe doceret, tunc ſic, iſti docentes veris naturam per comparationem, per accidens docent,ergo non boni artifices. Concluditur itaq; Gale. ver non eſſe calidum, & humidum ſed temperatum. Deniq; Gale. fingit ſe Ariſt. excuſare in hoc quia licet dixerit complexionem calidam, & humidam eſſe cauſam longus vitæ, non dixit hoc abſolutè pronunciando, ſed reſpectiuè comparatione animalium facta ad ſtirpes,& plantas, & corpora mortua, quæ frigiditate,& ſiccitate gaudent, viua verò caliditate, & humiditate. Sed rationes Galeni non ſunt demonſtratiuę, ſed potius perſuaſiuæ. Et primo dixit ex antiquis ver eſſe etiam temperatum, & tamen plures alij multa anni temperata etiam dixere. Iſti autem

Quid de rõnibus Gale.

tem

tem plura intemperata, ver autem temperatum dixerunt .s. calidum, & humidum, quòd etiam voluit Hipp. dicens ver eſſe temperatum, in aliis verò temporibus ſuapte natura morbos generari, propter eorum intemperiem vt æſtas intēperata calido, & ſicco, hyems frigido, & ſicco, autūnus frig. & hum. ſed ver ſolū tēperatū pro quanto in exceſſu non eſt calidum, neq; humidum, neq; frigidū neq; ſiccum, & ſicuti cōplexio tēperata eſt vna, intemperatæ verò multæ, vt Gal. etiam conceſſit, ita concedendum eſt temperatum tempus eſſe ver, alia verò intemperata, quod Gal. poſtea d. eſſe falſum, quia .s. antiqui male adaptabant complexiones elementorū quatuor ætatibus, & temporibus anni. Imò hoc etiam Ariſt. 1. par. probl. 3. elementa, ætates tempora anni in qualitatum complexione proportionari, & ſupra probatum eſt ratione. Et ſi quis diceret pro Gal. tempora anni potiùs variari à motu Cœli, quàm à complexione elementorum. Dicendum eſt ambo ad temporum variationem concurrere, ſolis .s. motum principaliter, ſecundario elementorum mutationem, & varietatem, ad primam itaq; Gale. rationem dicitur, quod quando aliqua comparantur quibuſdam, licet non ſint talia, poſſunt tamen eſſe eis ſimilia, in quibus non ſequitur, quòd ſicut eſt vnum, ita alterum eſſe debeat, ita ver comparatum hyemi eſt calidum, caliditate multa ſed reſpectu æſtatis eſt parum frigidum, ſimiliter ſi æſtati comparatur eſt humidum multum, hyemi verò eſt parum humidum, propter quod erit calidum, & humidum. Dices quod ſimiliter poſſit dici frigidum reſpectu æſtatis, & ſiccum reſpectu hyemis. Concedi poteſt reſpectiuè, non tamen ſimpliciter erit illa extrema, ver ergo poteſt dicere omnia illa reſpectiuè, non tamen ſimpliciter, ſed tem-

Sol. ad rat. Gale.

temperatum, in qualitatibus actiuis nam in rei veritate antiqui ver à prædominio eſſe calidum, & humidum, non de caliditate extrema, & humiditate intellexere, ſed de moderata, & temperata, illa .n. eſt magis apta cauſare potius febres peſtilentiales, vt dictum eſt, ver igitur cum ſit temperatum in calido, & humido, & tẽperatũ in aliis qualitatibs actiuis, non erit inconueniens habere in ſe qualitates contrarias, cum illa in vere non ſint ſimpliciter, vt ſint in extremis, ſed moderate, & in actu remiſſo. Sed dices ergo ver non erit ſaluberrimũ, ſed potius inæquale vt autumnus. Dico quod non ſequitur hoc de vere, ſicut de autumno, nam ver eſt calidum, & humidum, & in qualitatibus actiuis temperatum, & moderatè habebit omnia ſimul reſpectiuè ad alia, & non ſimpliciter, autumnus autem eſt inæqualis ſucceſſiuè modo calidus modo frigidus, & per conſequens in æqualis, in ſe, & abſolutè, ver igitur temperatè omnia ſimul & non ſucceſſiuem ſicuti autumnus, ideò ſaluberrimum, alia autem tempora, reſpectù veris, intemperata erunt. Ad aliam cum dicebat Galenus antiquos non abſolutè de veris natura locutos fuiſſe, ſed per accidens. Dicendum eſt eſſe verum comparando ver ad alia tempora anni, modo antiqui non ſolum de vere locuti ſunt ſic, ſed etiam per ſe, & abſolutè determinantes ipſum eſſe temperatum, vt dixit Hippo. & ideò non omni ſerunt tractare de vere in ſui natura, & per ſe, licet relatiuè, & per accidens etiam tractauiſſent. Præterea ſi Gal. concedit ſecundum Hipp. ver in ſui natura, & per ſe eſſe temperatum tunc quæritur hæc conſideratio, vel eſt vt reſpicit corpus humanum, & eſt cõſideratio medica, ad artem propriam pertinens, & tamen eſt conſideratio relatiua, & reſpectiua, vt ip-

Id aliam.

ſam.

ſam medius conſiderat vel non reſpicit corpus humanũ alterabile, & ſic non erit medica, ſed potius vniuerſalis conſideratio de eius natura, & magis ad philoſophos pertinens, quam ad medicos & cum dicit quod tunc cauſaret febres peſtilentiales. Dicendum quod tempe- *Ad aliam.* ramentum calidum, & humidum eſt in duplici differentia vel temperatum, & ita Ariſt. complexionem huiuſmodi eſſe longionis vitæ intelligit, quæ apta maximè eſt ad cauſandas febres, vel immoderatum, & in exceſſu, vt fuerunt aeris, & Cœli conſtitutiones calidæ, & humidæ deſcriptæ ab Hippo. in lib. Epidem. ex qua cõſtitutione auſtrina, & pluuioſa in exceſſu calida, & humida febres, & alij morbi peſtilentiales enumerati cauſati fuerunt, & ita debet intelligi Gale. ſicuti etiam dixit Ariſt. 4. Meteor. putredo generatur ex humido vincente calidum ſuperabundante, ideò intellexerunt antiqui ver calidum, & humidum temperatum, & non in exceſſu. Demum Galenus ſimulauit Ariſt. excuſare, cum dixerit complexione calidam, & humidam eſſe cauſam longionis vitæ, ipſum intellexiſſe comparando ipſam ad ſtirpes, & plantas, & corpora mortua, quæ potius ſiccirate, quam humiditate gaudent. Nos autem dicimus Ariſt. intelligere complexionem temperatã, & non in exceſſu calidam, & humidam, hæc .n. complexio potius eſt apta ad ſuſcipiendum maximas putredines, vt dictum eſt, & confirmatur teſtimonio Haly. in 2. art. Med. tractatu de textibus com. 2. vbi dicit quædam eſt complexio calid. & hum. accidentalis, & hæc eſt vituperabilis, quia velox eſt ad ſuſcipiendam putredinem, altera eſt naturalis, vnde ver calidum, & humidum accidentaliter, complexioni calidæ, & humidæ accidentali comparatur, ver autem in ſuo proprio tẽperamento

mento naturali exiſtens aſſimilatur commenſurato, & temperato calido, & humido, & ſubdit quod mirandū eſt de Gal. qui perſuaſiua ratione potius, quàm demonſtratiua, hoc probare nititur, quod non conuenit Philoſopho, orationes .n. poeticæ, & rethoricæ non faciunt ſcientiam veram, ſed aliquam fidem, & certitudinem apud demonſtrantem. Erat alia pars 4. concluſionis de vere, in qua dicebamus ver in ſui natura, & per ſe, vt reſpicit corpus humanum eſſe temperatum, & probari poteſt ſupponendo quòd ſanitas eſt cōmenſuratio, vel æqualitas in calido, & frigido propter rationes obeundas, tunc ſic, illud tempus erit temperatius, in quo maximè humana corpora ſanitate vigent, ſed hoc maximè eſt in vere maior ex conceſſu patet, minor eſt Hipp. cū dixerit ver eſſe ſaluberrimum, & maximè morbis mortiferis obnoxiū, probatur etiam quæ de veris natura dicta ſunt teſtimonio Auer. 2. collig. cap. vlt. vbi determinatur de veris temperamento ſic, veris complexio eſt calida, & humida, & hoc eſt intelligendum de vere, ſi ad alia tempora anni comparetur, ſubdit poſtea, licet poſſit dici temperatum comparatum ad corpora humana, non tamen temperatum proportione quatuor qualitatum in ſe. Per hæc verba videtur Auer. Gal. callidè repræhendere, qui de mente Hipp. dixit ver eſſe temperatū, d. Auer. quomodo ſit hoc, cum æqualiter in æquilitrio habeat de calido, & humido, frigido, & ſicco, & ſi intelligeret Gal. tunc concluderet ęquale ad pondus, quod eſt impoſſibile concedi, vt multis rationibus ibi probat Auer. concedit autem Galenus corpus æquale ad iuſtitiam, & ad opus perficiendum, ſicuti eſt ver in qualitatibus actiuis, & paſſiuis, & æquale ad iuſtitiam, non ad pondus, ſed ad opus proprium reſpectu corpo-

Ver eſſe tēp.

rum, modo quò medicus conſiderat de vere, & de aliis temporibus vt dictum eſt.

CAP. XI.

In quo ſolutiones ponuntur ad rationes prius adductas, & ad auctoritates contrarias huius noſtræ opinionis.

POST quæſiti veritatem, reliquum eſt rationes, & auctoritates contrarias ſoluere, cum non ſufficiat
Sol. ad 1. redargutio. Primum itaq; ſuppoſitum eſt falſum vt probatum eſt in 3. notando veræ opinionis; & ideò formaliter dico ad rationem, cum d. æſtati contraria eſt hyẽs, ergo reſpectu omnium qualitatũ, antecedens eſt falſum,
Ad 2. & ita conſequens. Ad 2. dicimus elementa ſic ſituari formaliter, & ad rationem negatur ſequela; nam hyẽs non eſt contraria æſtati in omnibus, ſed tñ in vna .s. frigiditate, ſed bene concedimus, vt elementa opponuntur in qualitatibus ſuis, ita quatuor tempora anni. v. g. ſicuti ignis eſt calidus, & ſiccus, ita æſtas, ſicuti terra frigida, & ſicca, ita hyems, ſicuti ver calidus, & humidus, ita ver, ſicuti aqua frigida, & humida, ita autumnus, &
Ad 3. totum hoc conceſſit Ariſt. 1. par. probl. 3. Ad 3. cum arguitur fieri pluuias in hyeme, & non in autumno, oppoſitũ huius eſt ad ſenſum verũ, vt probatur ex Hippo. lib. de locis, & aere, vbi d. ſi annus debet eſſe ſalubris in vere, & autumno debere fieri pluuias, & ita videmus ad ſenſu, maximas fieri, idem ſentit Ariſt. 1. Met. cap. 13. & rationem aſſignat, quare hyeme, & æſtate rarò fit pluuia, vere verò, & autumno pluries. Reſpondemus nos
Ad 4. etiam ad aliam rationem ſupradictam, negando 2. ſuppo-

po-

poſitum, imò dicendum, quòd tranſitus de æſtate ad hyemem eſt tranſitus de medio ad extremum, & cum probamus ibi ſequelam, quia extrema ſunt in omnibus qualitatibus contraria, cum ergo fit tranſitus ab æſtate calida, & ſicca ad hyemem frigidam, & ſiccam per autũnum frigidum, & humidum, dicimus quod in hac probatione ſupponitur falſum .s. tranſitũ ab æſtate ad hyemem eſſe ab extremo ad extremũ, cum ſit motus à medio ad extremum, nam vt dictum eſt ſupra ver eſt vnũ extremum motus ſolis à quo incipit nobis appropinquare, & vadit ad hyemem tanquam ad aliud extremum motus ſolis, frigid. & ſicc. & veri oppoſitã ſimpliciter in ambabus qualitatibus, etiam vt temperatum, & intẽperatum, media verò motus eſſe æſtatem, & autumnũ, & ita motus dicitur ab extremo ad extremum, per mediam æſtatem, & autumnum. Dices nam licet fiat trãſitus de æſtate calida, & ſicca ad hyemem frigidam, & ſiccam, & ſit tranſitus à medio ad extremum, hoc videtur quod fiat per alterum extremum, modo hoc eſt inconueniens, tranſitus enim à medio ad extremum non debet fieri per alterum extremum. Dico quod autumnus non eſt extremus reſpectu æſtatis, nam licet æſtas ſit calida, & ſicca per ſe in extremo, tamen autumnus per ſe in extremo non eſt frigidus, ſed in frigiditate moderatus cum ſol incipiat remoueri, & elongari à nobis, imò principium autumni ſolet ſapere finem æſtatis, & ſic licet autumnus in humido extremè ſit intemperatũ, tñ in frigido non eſt extremè intemperatũ, & ſic vt extremum non opponitur æſtati, vt ſupponit ratio. Reſpondetur etiã ad auctoritates, & 1. ad 3. primas Hipp. quia fundatur in vno ſuppoſito .s. complexionem intẽperatam ſuo contrario corrigi, & conſeruari, ſuo ſimili

Sol. ad auctoritates ad 1. & 3.

verò vireſcere, & augeri intemperantiam, concedimus ſuppoſitum eſſe verum, ſed dicimus ex Gal. 2. de temp. cap. 2. ſenes per ſe in propria complexione, in membris ſolidis eſſe frigidos, & ſiccos, per accidens autem frigidos, & humidos, ex debilitate .n. caloris pituita congregatur in ipſis, & ſuperfluum à natura, deinde expurgatur. Hoc ſtante dicendum ſenes malè ſe habere in hyeme, vt nos qui poſuimus eſſe frigidam, & ſiccam intemperatura per ſe, nam ſenes cum ſint intemperati in frigido, & ſicco & talia corpora ſimilibus augentur, contrariis conſeruantur, & corriguntur, benè autem ſe habebunt ſenes in vere, & conſeruabuntur in ſuo proprio tẽperamento à caliditate, & humiditate veris, ſi verò ſenes in ſuo temperamento conſiderentur per accidens, cum ſint frigidi, & humidi per accidens, benè ſe habebunt in æſtate, nam eorum pituita ex caloris debilitate

Ad 4. genitus ab æſtatis caliditate deſiccatur. Ad aliam Hippo. auctoritatem quando arguit à ſigno, & nocumento facto ptiſicis, quos d. malè ſe habere in autũno frigido, & ſicco. Not. Gal. in com. 10. illius Aph. quod per ptiſicos duos poſſumus intelligere, vel vlceratos in pulmone, vel quamcunq; colligationem cõmuniter, ſubiũgit Galenus liquet autem vtrisq; .s. tam vlceratis in pulmone, quam conſumptis autumnum eſſe malum. Id autem non videtur ad Hipp. mentẽ, ſi .n. concedimus per ptiſicos, non vlceratos in pulmone Hipp. intelligere, ſed quoſcumq; conſumptos, cum autumnus ſecundum ipſum ſit frigidus, & ſiccus, eius ſiccitas augebit ptiſim, nam intemperata corpora ſuo ſimili ſureſcant, & augentur in intemperantia ſuo verò contrario corriguntur, ſi verò per ptiſim vlcerationem in pulmone tñ intelligimus, cum id cauſetur ex caliditate, & humidita

te

te diſtillante à capite ad pulmonem, & vlcus in pulmone confirmatum cum ſit putridum conſeruatur ab humido continuo fluente à capite ad pulmonem, vlcus autem, vt vlcus eſt eſiccatione indiget, ideò .5. meth. Gale. iuſſit omnes ęgros ptiſim patientes Italiam migrare, & Siciliam, vt ex aeris caliditate, & ſiccitate exiccentur. Quamobrem Hipp. per ptiſicos vlceratos intellexit in pulmone, & cum poſuerimus autumnum frigidũ, & humidum, & in humido maximè pollere, non eſt dubium, quod autumnus ſit nociuus, & malus ptiſicis, nã vlcus in pulmone putridum ab humido à capite diſtillãte augetur, quod faciet autumnus, ideò eſiccatione indiget. Ad aliam quando d. hyemem borealem, & ſiccam cauſare morbos, hoc verum eſt, ſi fuerit pluſquam naturæ ſuæ conuenientiam. Hipp. lib. de locis aere, & aqua, d. hyemem ſalubrem, non debere excedere in frigiditate, & eſſe tempus ſerenum, quod ſiccitate non ſuperabundanti eſt, vnde hyems borealis, & ſicca morbos cauſabit, ſi exceſſerit à ſuo proprio temperamento. Similiter dicẽdum eſt quod ſi autumnus fuerit pluuioſus, auſtralis, pluſquam naturæ ſuæ conueniat, morbos cauſabit, ſi autem fuerit moderatus in pluuia, & in ea moderate pluat tunc ſuo conuenit temper. vt Ariſt. 1. Meteor. pluuias in vere, & autumno fieri, hyeme verò, & ęſtate raro, æſtate .n. cum ſit fortis calor in altum vaporem extollit, & ſua vi reſoluit in hyeme verò frigiditatẽ, & ſiccitate prædominante, non fit vaporũ eleuatio. Ad aliam quando arguitur à ſigno, dicendum eſt, hoc ſignum non eſſem per ſe propriè conuertibile, arguens talem autumni naturam, nam ex eod. Hippo. 3. part. Aph. 19. omnes morbi in omnibus temporibus generantur, quibuſdam verò magis, vnde Gal. in com. d. ſi

Ad 5. *Ad aliam.*

I 3 am-

ambientis aeris temperatura ſola eſt morborum cauſa, tunc quolibet tempore illos pateremur, qui ſunt accomodatæ naturæ temporis, nunc verò quæ etiam ob errata, quæ in victu contingunt, morbi fiant, omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, plures verò in ſingulis, naturæ temporis accomodati, vnde ad morborũ cauſa non ſufficit ſolum aer, ſed victus error, cõplexio, & addi poteſt, vt regio, ætas, induſtria, & alia. Ideò non eſt ſignum proprium morbos ſiccos in autumno generari, ergo ipſe autumnus eſt ſiccus, non eſt enim ſignum conuertibile, cum in aliis temporibus tales morbi cauſari poſſint. Ad aliam Hipp. auctoritatem ex lib. de nat. hum. dico ſecundum ſuppoſitum eſſe falſum per ſe in ſui natura, licet per accidens poſſit eſſe verum: ad formam argumenti, tũ d. natura propria effectus, demõſtrat naturam propriam cauſæ, in rebus naturalibus hoc eſt verum, ſi fuerit effectus per ſe, & conuertibilis, vt requirit per ſe vera ſpecies demonſtrationis, ſed quando dicit quæ generantur, & augentur in hyeme ſunt effectus frigidi, & humidi patet quòd non ſint effectus per ſe, ſed per accidens, ſicuti per accidens ſua cauſa .s. pituita in hyeme generatur. Ad confirmationem noſtrã, dicimus minorem non eſſe veram, vt ſupra in 3. not. in declaratione veræ opinionis dictum eſt .s. ęſtatem, & hyemem non eſſe ſimpliciter contraria. Ad aliam auctoritatem per quam probant autumnum eſſe frigidũ, & ſiccũ quia in eo minoratur ſanguis, concedimus hoc propter tres cauſas, tum propter ęſtatem præcedentem calidam, & ſiccam, ex qua magna ſanguinis portio fuit permutata in bilem, & ſanguis ex hoc fuit minoratus, tum quia propter æſtatem calidam præcedentem, calor fuit diſperſus, & ideò debilitatus, & ideò ex calore debi

li minus de ſanguine in æſtate generatur, tertio quia in autũno augetur phlegma (ſecundum nos) qui tenemus frigidum, & humidum autumnum, & quia phlegma eſt quoddam indigeſtum, ſanguis autem digeſtus, ideò contraria ſunt, ideò ſanguis in autumno minoratur, ſed hoc prouenit ex dictis cauſis, & non ex ſua frigiditate, & ſiccitate. Ad confirmationem in autumno generatur atra bilis. Dico hoc non eſſe medium ſufficiens ad probandum autumni naturam eſſe frigidam, & ſiccam, nam vt diximus ad humorum generationem non ſufficit tempus; ſed alia concurrunt, vt victus &c. ſed medium ſufficiens ad tempus cauſandum eſſe motum Cœli, & maximè ſolis. Ad aliam Hippo. auctoritatem, vbi ad ſenſum d. virtute pharmaci propinati in tali tempore, talem humorem trahere nos. Dicimus ex ipſomet Hippo. & Gale. medicamentum quodlibet proprium ſibi, & connatum humorẽ trahere, vt reubarbarum colerã, in quocunq; tempore exhibeatur, & probatur nam cũ pharmacũ trahat humorem propriũ, à virtute ſibi connata, & propria, ſiue ſit fórma ſpecifica, ſiue alia qualitas manifeſta, quia nolo nunc de hoc diſputare, ergo in quolibet tempore hoc operabitur, cum hoc ſit à natura, & hoc ſi humores fuerint benè diſpoſiti à natura, vel ab arte, qui ſunt attrahendi, aliter non fieret attractio proprij humoris, & ſi fieret non niſi maximo ægrorum diſcrimine, quare patet humorem à medicamento proprio in tali tempore attractum, non eſſe medium ſufficiens ad inferendam talem naturam temporis. Ad aliam concedimus maiorem, negamus minorem, quia ſuprà probatum æſtatem hyemi non eſſe contrariam ſimpliciter, & cum arguitur morbi calidi, & ſicci in æſtate geniti, ſanantur in hyeme ergo per ſuum contra-

trarium, concedimus tempus eſſe morbo contrarium, non tamen eſt ſufficiens cauſa in ſanando morbo, ſicut tempus non eſt ſufficiens cauſa generationis morborū, ſed requiruntur alia, vt victus &c. vt dictum eſt, quæ omnia morbo aduerſantur. Ad aliam dicimus, quod licet illa opinio ſit Hippo. de natura hyemis, & autumni, credo tamen ipſum ſecundum famoſitatem eſſe allocutum, erat .n. hæc opinio vulgata ſuo tempore, nos verò dicimus ex Ariſt. 2. Top. loquendum eſſe vt plures, ſentiendum eſſe vt pauciores, & cum hanc opinionem Hippo. ſecutus eſſet propter famam,& eius ingenij perſpicacitatem,cæteri qui ſecuti ſunt, eam etiam amplexi ſunt. Nos autem rationem potius, quàm hominum auctoritatem ſequentes ipſam dico rationem, cui ſenſus aſtipulatur, cum ipſo etiam Ariſtot. contrarium perluſtrare conati ſumus. Et licet Ariſt. Hippo. famoſam opinionem ſequi viſus ſit 3. part. probl. vera tamen Ariſt. opinio eſt illa, quam nos diximus. Ideò pro reſolutione ſuarum auctoritatum contra nos adductarum eſt not. quod loquentes de natura hyemis, & aliarum anni temporum dupliciter loqui poſſunt, vel in ſuo proprio per ſe, & naturali temperamento, & ita ſecundum Ariſtot. hyems eſt frigida, & ſicca alio modo in temperamento, ex accidenti, & ſic concedit ipſe prima part. probl. 6. hyemem frigidam, & humidam, quod probauit ex abundantia pituitæ, modo ſicut pituita vt probatum generatur in hyeme per accidens, ex cauſis per accidens, quas enumerauit Hippo. primo de natura humana Aphor. 36. ita per accidens concedendum eſt ex Ariſtot. hyemem eſſe humidam, quod eſt noſtra, & vera opinio, cum enim calor naturalis in hyeme ſit fortior, ſanguis per ſe generabitur, &

Sol ad auctorit. Ariſt.

non

non pituita. Secundum Ariſt. ſignum fuit, quia in ea generatur phlegma, quod eſt contrarium coleræ, ideò generantur febres colericæ procedentes à forti cauſa, & rationabiliter in hyeme minores putredines generari, quam in æſtate, quia calor in illo tempore eſt fortior, nam putredo procedit ab humido ſuperabundante, & vincente calidum, quæ verò putredini obſtant ſunt frigida & ſicca, cuiuſmodi cum ſit hyems in ea minores putredines generantur, & tamen cum generantur procedunt à forti cauſa, ideò hyeme raro fiunt febres colericæ, & ſi fiunt mortẽ inferunt. Quare Ariſt. q̃n dixit hyemẽ humidã, dixit ſecundum opinionem famoſam, & vulgatã, vt Philoſophus tñ, & rerum naturã magis rimando, oppoſitum ratione ſenſata demonſtrauit. Et quando dicit hyemem borealem frigidam, & ſiccam cauſare morbos, concedimus ſi fuerint pluſquam naturæ ſuæ conueniat, tamen ſi iſta habuerit, vt ſuo requiritur temperamento, tunc conſtitutio naturalis erit, & ſalubris. Ad ſignum quando d. hyeme cadere folia &c. nos diximus ſupra cadere folia ex defectu humidi, & ad ſenſum apparet ſi plantæ incidantur in hyeme nihil humidi ex eis emanare, contrarium in vere, ideò arbores non ſunt in vere putandi, nec incidendi, ſed hyeme. Ad alterum ſignum frigus in hyeme præualere. Dicimus quod tale extremum frigus ſiccitatem potius, quam humiditatem ſibi aſſociabit, quia ſiccum ſtat cum extremo calido, & extremo frigido. Ad vltimum ſignum dicimus eſſe falſum, cum omnes virtutes in hyeme ſint viuaciores, & fortiores, quia calor naturalis in illo tempore eſt fortior, à quò omnes virtutes in corpore conſeruantur quæ verò animalia pauci ſunt caloris, vt ſerpentes hyeme debilitantur.

cur. Ad rationes Auicen. reſponſum eſt ſupra in confutatione eius opinionis, nec licet eadem bis repetere. Patet itaq; veritas præſentis quæſtionis, atque rationum, atque auctoritatum contrarium reieciationes, & ſolutiones.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA PALAT. PARMA